34-7-B-24- 108



PATAVII SVMPTIBVS: PETRI PAVLI TOZZII. 1617

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ILLVSTRISSIMO,
ET REVERENDISSIMO D.D.
ALEXANDRO
CARDINALI MONTALTO
S. R. E.
Vicecancellario, ac Congregat. Caſſinenſis Protectori.
FORTVNATVS MONACHVS F.

CONSTAT, *Illuſtriſſime Cardinalis, inuictos Religioſæ militię Anteſignanos intra montium, vallium, nemorumq; ſolitudines ſua tentoria libenter fixiſſe, caſtrametatos fuiſſe, exercitum ſuum inſtruxiſſe; id autem ea ratione, quòd Chriſti milites, iis, quæ in terris ſuſpicit Mundus, poſthabitis, acrius hoſtes illos opprimere poſſunt, qui viam, quę ad cęleſtem patriam perducit, intercludere conantur. Animi quippe ad eam contendentes Ægyptum, Mundum videlicet, facilius fugiunt; atq; inter fluctus huius ſæculi innocentiæ viam ſibi aperiunt, Dum in deſertum commigrant, ſtadium mirum in*

modum aptiſſimum, atq; tutiſsimum, vbi Chriſti Athletę ſuas aduerſus iniquitatem vires, Dei gratia fultas proferant, & contra Hoſtem immaniſſimum feliciter decertent; vt tandem victoria potiti in terram Promiſsionis ſupernę Hieruſalem recepti glorioſè coronentur. Quod iter Religioſæ Caſſinenſes copiæ ſub Diui Benedicti vexillo peragrandum ſuſcepere, plurimis huiuſmodi cęnobiis ſibi conſtructis, vno, inter alia, in monte Benedicti ſanctiſſimi veſtigiis frequentato; vno in valle Iuſtinæ Martyris cruore madefacta; quæ nunc diuino ſuauiſſimi roris illapſu irrigantur, atq; contra horriferum Aquilonis ſtridorem propugnantur MONTE ALTO, *qui es tu Illuſtriſſime Montalte,* XISTI V. *Pont. Beatiſſimi Reliquię Auguſtiſſimę. Tu vere Montis alti ſpecimen eximium, cuius ſane cacumen, animus (nimirum) ſupra nubes, ac ventos affectuum elatus vitæ ſanctimonia, Heroicis omnibus prerogatiuis ſuaui tranquillitate potitur. Tu Mons altus, quia in rebus Chriſtianæ Religionis gerendis conſilij altitudine polles; vt propterea ad te illud referri poſſit, quod Eccleſiæ ſuę fundamentum in montibus ſanctis collocauit Chriſtus Dominus.* Pſal. 86. *Tu pręterea* ALEXANDER, *Magno Alexandro maior; is quidem regias opes, penè omnes in milites, ac Duces effudit, rogantiq; quid ſibi ſeruaret, ſpem, inquit;*

inquit ; Tu laudabilius, qui apud pauperes Chriſti habes reconditos theſauros, ſpe non inani animatus, quam cum fœnore Æternæ Retributionis plenam reperies. Quòd vero ad nos Monachos tibi commendatos attinet, Tu nobis tua beneuolentia, & patrocinio es Mons altus, unde iuſtitię, abundantiæ, & pacis fructus exoritur: proinde noſtrum eſt, vt tibi tanquam ſingulari patrono tributum reddere curemus; quod facimus inſtar Regum, qui Chriſtum viſitarunt, thus diuinarum præcationum offerentes, quod deſertum hoc noſtrum potiſſimum progignit, quibus apud Deum optimum maximum enixè intercedimus, vt cum multa bonę valetudinis diuturnitate te ſoſpitem Eccleſiæ ſuæ conſeruet; cuius ardentis deſiderij ſunt præ omnibus, & totius Caſſinenſis Militiæ iã Dux Angelus Grillus, vti pietate inſignis, ſic præclara omni litteratura conſpicuus, & noſtræ Iuſtineæ legionis Pręſes Cyrillus Gaſparenus, pater vndique venerabilis, qui te vnice colunt ac venerantur. Adeſt & mirrhę, ideſt, auſterioris vitę arbor; atq; inter Deſerti rupes vena aurifera theologicarum contemplationum, ex qua cum ego fruſtulum effoderim, animauit me perſpecta tua benignitas, qua complecti omnes ingenuos ad te confugientes conſueuiſti, vt tibi illud, tanquam deuincti animi ſingulare debitum dicarem;

res

res profectò per ſe ipſa non eſt minima ; aurum etenim hoc AEnigma eſt,quo Deus incomprehenſibiliter dignoſcitur ; verum quia ex rudi mea fodina erutum eſt,non niſi commixtum,& quaſi informe poteſt prodire; tu tamen pro tua incomparabili humanitate patere,obſecro, vt gemmam ei inſertam proferam,quę eſt tui incliti Nominis ſplendor; mihiq; tuæ gratiæ fauorem ne recuſes impertiri ! Vale diu, & Congregationem noſtram apprimè tibi deuotam ſub vmbra tui patrocinij, vt ſoles,tuere.

Ex Academia Sanctæ Iuſtinæ Kal. Iunij.1617

AD ACADEMICOS S. IVSTINAE Propoſitio.

CVM à moleſtioribus occupationibus eſſem diſtractus, ad interiora Deſerti, hoc eſt, ad me ipſum, vt Monachum decet, me recepi, vt Manna diuinę ſapientiæ, non Naturæ lege, aut hominum induſtria paratum, ſed Dei virtute è Cælo delapſum, deguſtarem; quod non vbiq; ſed in Deſerto pluuit Deus; cum potiſſimum illā mentem, hoc ſuæ ſapientiæ rore aſpergat, quæ à circumferentia rerum externarum ſecreta, ad centrum, ideſt, ad ſe ipſam reuertitur, ac in ſe ipſa manet, iuxta diuinum Oſeę oraculum, *Ducam eum in ſolitudinem,* Oſeæ 2.
et loquar ad cor eius. Hoc Māna eſt panis, quē dedit nobis Deus aduefcendum, hic panis Exo. 16.
eſt ſermo, quem ordinauit Deus, quo quaſi cęleſti alimonia animus hominis alitur; nō enim in ſolo pane viuit homo, ſed de omni verbo Dei. Verum enimuero omni conatu Deut. 8.

eni-

enitendum eſt,ne panis iſte ſalutaris in vaſculo mentis conputreſcat, in vermesq; efferueſcat;cui malo ſuccurremus, ſi sĩcero vaſe diuinę ſcripturę nitidum Manna ſuſcerimus; nec vnquam aliqua ingredietur contagio,ſi tantum vſurpabimus,quantum ſatis erit,nec amplius præſumemus, iuxta illud *Altiora te ne quæſieris*. Demum ſi dum

Eccl. 3. hoc ſpiritale Mãna, tamquam fauo quodã, fauces mentis obdulceſcunt, admirãtes in uicem dixerimus MANHV; quod nobis exprimit ſacram doctrinam eſſe magnã, admiratione dignam, incomprehenſibiliter intelligibilem; proinde admoneamur, quod turgens hominis animus obſtruſos diuinarum litterarum receſſus penetrare, ac comprehendere ſe poſſe non præſumet, ne

Act. 8. deſperans, tandem cogatur cum Aethiope illo Eunucho exclamare, *Quomodo poſſum hæc intelligere, niſi aliquis oſtenderit mihi?* Verum depreſſa ceruice, & humili ſupercilioDiuina Myſteria ſic inſpiciat,vt ea potius ſilentio adoret,ac veneretur, quam curioſa indagine perquirere ſtudeat;ſecumq; illud Sanctiſsimi Vatis recogitet,*Propter*

Pſal. 129. *legem tuam ſuſtinui te, & humiliatus ſum.*

Hoc ſalutari conſilio permotus cæleſte pabulum

bulum præcipua, videlicet, Diuinitatis My
ſteria in Deſerto manducare, hoc eſt, mecũ
ipſe in ſilẽtio, in proprijs penetralibus exi-
ſtens, contemplari conſtitui. At cum ad di-
uina, non niſi per ſymbola, accedendi via
nobis pateat (nũc enim videmus per ſpecu Prima Cor. 13.
lum, & in ænigmate) ad Mathematica pro
adiutorio confugiendum cenſui; cum pro-
pter illorum incorruptibilem certitudinẽ,
materiæq; carentiam ad diuina explicanda
magis accomodata videantur. Dum vero
hæc huiuſmodi mecum ipſe meditarer, ſi-
mulq; Mathematicas ſimilitudines diuina-
rum rerum explicationi accomodarem, ac-
cidit, nos, Dominico à Colonia, peracto
aureo ſuæ adminiſtrationis luſtro, abſcedẽ-
te, amittere Abbatem eximium, aliàs Præ-
ſidem Generalem, de vniuerſa Caſſinenſi
Militia optimè meritum, Patrem nunquam
pœnitendum; alterumq; prudentiſſimum,
ac ſolertiſſimum nanciſci ſucceſſorem Cy
rillum Patauinum; quaſi à pulcherrimo oc-
caſu in pulcherrimam renaſcentis Auroræ
ſerenitatem progreſſos; qui exorientis lucis
ſplendor præcipuè Mineruæ igniculos exci
tauit, inflamauitq; ad vigilias, & luctamen,
quo aures noſtræ non tubarum, & cornuum

clangore,ſed Muſarum concentu,& Apolli
nis fidibus perſonarent;oculi,non cæde, &
ſanguine,& incendijs,ſed rerum admirabi-
lium,diuinarum precipue aſpectu , & con-
templatione paſcerentur;artus debilitaren
imn tur,ſed corpore,& animo integri perfectio-
41.10 nis coronam, quam præclarum Academię
Inſigne obluctanti,& vigilanti aduerſus ac
cerrimos animi hoſtes inertiam.v. & igno-
rantiam , pollicetur , non ſtrage, ac cæ-
dibus , ſed ſtudio, & induſtria conſeque-
remur . Quo ſingulari incitamento iam
non remiſſus , & inermis , deliteſcere ,
ſed clypeatus , & galeatus præter men-
tis propoſitum in campum proſilire, ago-
niſticum panem manducare ſum coactus;
hæc nempè Diuina Myſteria , iam Ma-
thematicis imaginibus delineata, à Deſer-
to in publicum euulgare,atq; in Academia
noſtra, tamquam in ſtadio concertationis
proponere,ac tueri; ipſo potiſſimum ſpecta
tore,qui ad hoc ſcholaſticum luctamen ani
mauit,vt eſſemus parati reddere rationem,
P.Pet 1. iuxta Principis apoſtolorum ſententiam,de
ea,quæ in nobis eſt, fide .

Theologiæ Triplex diuerſitas.

Sic

34-7-B-89


Sphera Deus cuius. centrum. est ubiq, Circunferentia nusquam
SYMBOLVM THEOSOPHICVM
quod conſpiciendum proponit
Fortunatus Monach Patauin
IN ACADEMIA S. IVSTINÆ
PVLCRITVDO
DEVS
BONITAS
PROP
TER VER
BVM TVVM SVSTINVI TE ET
HVMILIA
TVS SVM

Sic Matæologiam refugiemus, vt mo-
1.Thi.1. net Apoſtolus; placidam vero, ac inermem
Theologiam ſic amplectemur, ne clypea-
tam galeatamq; videamur aſpernari. Ma-
tæologia, quæ animalis eſt, ſophyſmatibus,
& inanis ſapientiæ verbis falſum tueri co
natur: Theologia, quæ ĩtellectualis dicitur
in pace veritatẽ quærit, quæ vt inermis in
campũ non deſcenderet cum hoſte decer-
tatura: Theologia verò quæ rationalis eſt,
quaſi loricata, galeataq; clypeum tenet ad
tela hoſtium reijcienda, & haſtam ad eos
impetẽdos. In Prima tenebræ opponuntur
lumini: In Secũda maior lux offuſcat mino
rem. In Tertia lumen opponitur tenebris.
Prima veluti Icareis volatibus nimium ele
uata, æſtu ſolis cera reſoluta, refluẽtibus pẽ
nis, in caliginoſiſſimas tenebrarum vndas
relabitur: Secunda fidei robore innixa, pro-
fligatis vitiorum Mõſtris, in humilitate ad
ſublimia ſe extollit: Tertia alis etiam hu-
manę rationis, veluti Dedali volatibus ali-
quantulum eleuata, media veritatis loca in
habitat: In Prima tenebræ videntur lumẽ:
In Secunda tenebræ ſunt immenſitas lumi
nis: In Tertia lumen eſt lumen. Prima tur-
gida, prauaq; ignorantia: Secunda Fi-
des

des acquiſita certiſſima: Tertia nec fides, nec ſcientia, ſed medius quidam habitus abutraq; accidentaliter diſtinctus: In prima vanas de rebus diuinis ſententias, tamquam reiectas ſupponimus: Ex ſecunda præcipua fidei dogmata: Ex Tertia Problemata, Fidei dogmatibus annexa, deſumpſimus, atq; in hoc ſpeculo Mathematico conſpicienda proponimus.

ELEMENTVM PRIMVM:

I.

MATHEMATICÆ omnes verſantur circa quantitatem, dicunturq; mathematicæ, ideſt, diſciplinæ, eò quod procedunt ſemper ex præcognitis quibuſdam principijs ad concluſiones demonſtrandas; quod eſt proprium munus diſciplinæ; neq; vnquam aliquid non probatum aſſumit Mathematicus; ſic ſacra Mathematica verſatur circa quantitatẽ non creatam, ſed increatam;conſiderat enim Deum magnitudinem abſolutè maximam pariter, & minimã,quia maior, aut minor eſſe non poteſt, cum ſit omne,id quod eſſe poteſtq;nec diuiditur,nec minuitur,vt creata quantitas; queq; eſt infinita, omnis magnitudinis finitæ veritas,& menſura.Hæc Mathematica,quæ talem quantitatem contemplatur,non ab Aegyptijs, aut Pytagoræis inuenta eſt, ſed à ſummo Deo reuelata, vt ęternam beatitudinem conſequeremur. nec immerito diſciplina poteſt nuncupari, cum & ipſa à certiſſimis principijs, quæ ſunt articuli fidei, Spiritus Sancti magiſterio reuelati ad concluſiones ſacras declarandas, aperiendaſq; progreditur. Neq; etiam verus Theologus vnquam aſſumit principium, quin diuina auctoritate fuerit comprobatum, aut ſaltem lumine naturali manifeſtum. Sicut igitur obiectum mathematicarum eſt quantitas; ita ſacra Matheſeos habet pro obiecto infinitam quantitatem,hoc eſt, Deum ſub ratione Deitatis.

Sicut

I I.

SIcut Mathematicarum alia intellectualibus tantum lineis menſurat, vt Geometria; alia intellectualibus, & ſenſibilibus, vt Perſpectiua; alia demum ſenſibilibus tãtummodo, vt Geodæſia; ſic Theologicarum diſciplinarum alia ſolis principijs fidei dogma catholicum metitur, vt facit Theologia intellectualis; alia principiis quidem fidei vtitur, non tamen reſpuit principia naturalia ſenſibilia, quæ licet ſint minus certa, quàm principia fidei; ſunt tamen euidentiora; circa quæ Theologia rationalis verſatur; alia vtitur ſolùm ſenſibilibus, vt animalis Theologia.

I I I.

QVemadmodum omnis demonſtratio Mathematica vel eſt Problema, quod docet aliquid conſtituere, cuius tamen oppoſitum poteſt effici; vel Theorema, quod partem eam contemplatur, cuius pars oppoſita perpetuò eſt falſa; quibus ad iungitur Lemma, quod licet ad demonſtrationem minus principaliter ſe habeat; aſſumitur tamen, vt demonſtratio principalis expeditior fiat. Non minus hoc contingit in ſacra Mathematica in ea enim eſt theorema, quod eſt dogma fidei, cuius oppoſitum non poteſt eſſe verum; hoc Theologia intellectualis potiſſimum ſpeculatur; eſt Problema illud videlicet, quod nondum a Sancta Matre Eccleſia eſt definitum, quodq́; non eſt ita certum, quin oppoſitum poſſit inculpabiliter tueri: eſt Lemma, quod præter principium fidei, aſſumit aliud humana ratione comprobatum, quod licet minus proprie ſpectet ad ea, quæ ſunt fidei, accipit tamen, vt oſtendatur, quod Theologicæ demonſtrationes non concludunt aliquid, quod naturæ, & veræ philoſophiæ repugnet;

gnet; idẽ enim Deus eſt author Gratiæ,& Naturæ;circa hæc lemma, videlicet, & problema verſatur Theologia rationalis, vt ſit parata reddere rationem de ea, quę in nobis eſt, fide.

IV.

CVm igitur, vt videmus, Mathematicæ proportionem, ac ſimilitudinem aliquam videantur habere cum ſacra diſciplina, meritò mathematicis imaginib. Diuina Myſteria delineare, ac adũbrare ſtatuimus. nec intellectus acies à rebus materiæ immerſis ad res penitus abſtractas videtur poſſe attolli abſq; medio, proinde conſentaneum eſt, prius ipſã aſſue fieri rebus minus abſtractis, vt facilius penitus abſtractas poſſit, prout natura patitur, attingere.

V.

VErùm hæc infinita quantitas, licet ſit per ſe nota, à nobis tamen eſt per ſe in attingibilis; ſicut enim ſe habet Polygonia ad circulum, quæ quanto inſcripta plurium angulorum fuerit, tanto fit ſimilior circulo; nunquã tamen efficitur circulus, etiamſi angulos vſq; in infinitum multiplicauerit, niſi in identitatem cum circulo ſe reſoluat: Sic intellectus finitus infinitæ quãtitati, quæ eſt ipſe Deus, nunquam poterit adæquari; ac proinde cognoſcere ſicuti eſt, vel per ſimilitudinẽ præciſe ĩtelligere, ſed ſibi ſoli Deus adequatè, & omnibus modis notus eſt.

VI.


AT quoniam iam ex dictis conſtat Deum per ſe cognoſci non poſſe, ſequitur, quod ſolùm ſymbolicè à nobis cognoſci queat; ac proinde ipſum incomprẹhenſibiliter intelligi, quare ipſum imaginibus inueſtigare proponimus; at ſimplicem ſimilitudinem tranſilire neceſſe eſt, nam cum omnia

mathe-

Mathematicalia ſint finita, ſi finitis vti pro exemplo voluerimus, ad maximum ſimpliciter, ſiue ad infinitam Bonitatem accedẽtes, oportet figuras Mathematicas finitas conſiderare cum ſuis paſſionibus, ſecundo ipſas rationes, & paſſiones correſpondenter ad infinitas tales figuras transferre, poſthæc tertio adhuc altius infinitas figuras tranſumere ad infinitum ſimplex abſolutiſſimum ab omni figura; & tunc docebimur quomodo de altiſſimo rectius, & verius ſit nobis in ænigmate laborantibus ſentiendum. Ita igitur ſpeculantes, & ſub hoc ænigmatico veritatis diſcerniculo incipientes, dicimus, quod Sancti Viri ingenio eleuatiſſimi, qui ſe figuris applicarunt varie locuti ſunt; alij Deum lineam, alij triangulum, alij circulum, alij ſphæram figuratè dixerunt, quos omnes ſic loquentes de Deo rectè dixiſſe oſtendemus.

ELEMENTVM II.

DEVS.



Lemma I.

Linea infinita eſt recta, & actu omnes figuræ.

CERTVM eſt, quod ſi linea infinita eſſet, illa eſſet recta, eſſet triangulus, eſſet circulus, & ſphera; ſicut e contra, ſi ſphera eſſet infinita, illa eſſet triangulus, circulus & linea, quod pariformiter dicendum eſt de triangulo infinito, & circulo infinito. Quod autem linea infinita ſit recta manifeſtum eſt; nam Diameter circuli eſt linea recta, & circunferentia linea curua, quę eſt maior diametro; ſi igitur linea curua minus recipit de curuitate, quanto circumferentia fuerit maioris circuli, igitur circunferentia circuli infiniti, quæ maior eſſe non poteſt, eſt minime curua, quare maximè recta; coincidit igitur in linea infinita minimum cum maximo, & curuum cũ recto, linea enim infinita eſt maxime recta, & minimè curua; quare linea infinita eſt rectiſſima, cui curuitas non opponitur, imo curuitas infinitę lineæ eſt rectitudo: & hoc eſt primum probandum. Quod vero linea infinita ſit triangulus, circulus, & ſphæra apparet ex lineis finitis; quidquid enim linea finita eſt in potentia, illud idem infinita linea eſt actu, at linea finita poteſt eſſe in longitudine longior, & rectior; quare linea infinita eſt longiſſima, atque rectiſſima actu. Linea finita variè circunducta poteſt fieri triangulus, ſemicirculus, circulus, & ſphæra, quæ eſt vltimum de potentia lineæ totaliter exiſtens in actu; cum ſphæra non ſit in potentia ad aliquam figuram vlteriorem, ergo ſi in potentia lineæ finitę ſunt iſtæ figuræ, & linea infinita eſt omnia actu, ad quæ finita eſt in potentia, ſequitur lineam infinitam eſſe triangulum, circulum, & ſphæram; quod erat probandum.

Theo-

Theorema II.

Deus eſt actu omnia poſſibilia.

PEr lineam infinitam, quæ non minus eſt linea, quàm circulus, triangulus, & ſphęra, intellectus noſter poteſt intelligere Deum, qui eſt ens infinitum ſimpliciter omnia complicans. Linea enim infinita, eſt actu infinitè ea, quæ ſunt in potentia lineæ finitę, vt ſuperius fuit oſtenſum: eodem modo Deus maxima bonitas eſt actu maximè omnia illa, quę poſſibilia ſunt. Et ſicut infinita linea non eſt triangulus, quatenus talis triãgulus ex linea finita educitur; ſed linea infinita eſt actu triangulus infinitus, quatenus educitur è linea infinita, ſiue quatenus eſt idem cum linea infinita; ſic maxima bonitas eſt actu omne quod eſt poſſibile, non vt eſt ex poſſibili, ſed vt maxime eſt, ſiue quatenus poſſibile eſt idem cùm maxima bonitate; ex quo aſſerimus eſſentiam diuinam eſſe idem cùm omnibus rebus poſſibilibus, quę ſunt in ipſa idem realiter, ſed non formaliter. Conſequenter ſicut linea infinita eſt actu ſphæra, eodem modo poſſibilitas in maxima bonitate eſt actu ipſa maxima bonitas, extra vero maximam bonitatē, quę ſola eſt actus puriſſimus, eſt potentia, non actus: ſicut linea extra infinitatem non eſt ſphęra actu, ſed potentia.

Theorema III.

Deus eſt adęquatiſſima menſura.

PRęterea ſicut linea infinita eſt adęquatiſſima menſura omnium linearum, quę ſunt in ipſa; linea enim bipedalis in linea infinita non eſt maior, aut minor, quare eſt æqualis, & cum

quælibet pars infiniti ſit infinita, illa erit infinita, & per conſequens ęqualis, vt dictum eſt, quia, infinitum non eſt maius infinito; vnde quęlibet pars lineę infinitę conuertitur cum tota linea infinita: pariformiter infinita eſſentia eſt omnium eſſentiarum adæquatiſſima menſura, cum omnis eſſentia in maxima eſſentia ſit maxima, quare ſequetur Diuinã eſſentiam adequatè repreſentare quamlibet creaturã.

Theorema IV.

Deus eſt ratio omnium.

ITem linea infinita eſt ratio lineæ finitæ; non minus maxima bonitas eſt omnium ratio; dicimus enim, quod eſſentia diuina eſt propria ratio ſingularum rerum. Amplius linea infinita, quę eſt ratio lineæ finitæ, eſt indiuiſibilis, cum infinitum non habeat partes; per conſequens eſt immaterialis, & æterna; ità & ratio omnium rerum, quę eſt Deus, eſt immutabilis, & ſempiterna. Item ſicut in infinita linea, quæ eſt ratio finitæ, non eſt alia bipedalis, alia tripedalis, quia vna eſt eadem ambarum ratio, diuerſitas vero illarum non eſt ex diuerſitate rationis, quæ eſt vna, ſed ex accidente, quia non æquè rationem infinitæ lineæ participant; ſic vnum eſt omnium rerum exemplar, & diuerſitas rerum non eſt ex diuerſitate rationis, vel ideę, ſed ex diuerſitate participationis; & quamuis eſſentia ſit vna, nihil tamen prohibet habere rationem plurium id earum; vnde vnica eſt idea formaliter, obiectiuè plures.

Theorema V.

Deus omnibus participatur, ſed diuerſimodè.

Amplius curuum, vt curuum non eſt aliquid, cum

cum ſit caſus, & receſſus quidam a recto; Eſſe igitur, quod in curuó eſt, ex participatione rectitudinis eſt; quare quanto curuum eſt minus curuũ, vt contingit in circunferentia maioris circuli, tanto plus participat de rectitudine: ſic linea recta finita, quãto maior eſt, tanto videtur plus participare de infinitate lineæ infinitæ, ſicut igitur finita recta immediate participat infinitam, non quod partem capiat, quia linea infinita eſt impartibilis; ſic curuum participat lineam infinitam, ſed non ita ſimpliciter, & immediatè, ſed per medium rectitudinis, quam participat, ſi enim curuum non haberet aliquid rectitudinis, non participaret lineam infinitam, immo nec poſſet eſſe: ita aliqua ſunt entia, quę ſe habent tanquam linea recta, cum immediatius participent entitatem maximã in ſe ipſa ſubſiſtentem, vt ſunt ſubſtantię, quæ non ſuſcipiunt magis, & minus, ſicut & linea non ſuſcipit magis, & minus. Et ſunt alia entia, quæ ſe habent tanquam curuum, cum non per ſe, ſed per medium ſubſtantiarum entitatem participent, vt ſunt accidentia, quæ ſuſcipiunt magis, & minus, ſicut & curuum; qua diuerſa participatione non obſtante, rectum ſui, & obliqui menſura eſt; ſicut infinita linea lineæ rectę, & curuæ: ita maxima, Bonitas eſt metrum, & menſura omnium qualitercunq; participantium ipſam, quæ maxima bonitas; licet neq; ſit ſubſtantia, neq; accidens, potius ſortitur nomen immediatè ipſam participantium, ſcilicet, ſubſtantiarum, quàm accidentium; vnde Magnus Dyonisius Deum pluſquam ſubſtantiam vocat, dicitur autem ſupra ſubſtantialis, ideſt, non ſubſtantialis, quia hoc eſt inferius ipſo, ſed ſupra ſubſtantiam. vnde recte poſſumus colligere, Deum nec per ſe, neq; reductiuè eſſe in aliquo genere.

Theo-

Theorema VI.

Deus eſt ita in omni, quod in nullo.

INſuper linea infinita non eſt maior in bipedali, quàm in pedali, nec minor; & cum ſit indiuiſibilis, & vna eſt tota in qualibet finita, ſed non eſt tota in qualibet finita ſecundum participationem, & finitationem; alioquin quando eſſet tota in bipedali, non poſſet eſſe in tripedali; quare eſt ita tota in qualibet, quod eſt in nulla, vt vna eſt ab alijs diſtincta per finitationem; eſt igitur linea infinita in qualibet linea tota, ita quod quælibet in ipſa: ſic diuina bonitas cum ſit vna, & indiuiſibilis eſt ita in qualibet re, quod ſimul in omnibus, & in nulla ſingulariter.

Theorema VII.

Deus remota participatione remanet omnino incomprehenſibilis.


EX dictis colligimus, quod omnia entia primam entitatem participant, cum prima entitas ſit menſura omnium, ſublata igitur ab omnibus entibus participatione, remanet ipſa ſimpliciſſima entitas, quæ eſt eſſentia omnium entium, quæq; omnem intellectum creatam ſupergreditur, & omnem noſtrã intelligentiam tranſcendit; quoniam cum omnia entitatem participantia ab animo remouemus nihil remanere videtur; propterea Magnus Dyoniſius dicit, intellectum Dei magis accedere ad nihil, quàm ad aliquid, quoniam hoc, quod intellectui nihil videtur, eſt maximè incomprehenſibile, de quo demonſtrationes concludimus potiſſimum per hoc principium, Deus eſt infinitus; ex quo Principio omnis Theologia per nos apprehenſibilis progreditur in inueſtigatione diuinæ

119

uinæ eſſentiæ; ſic de ipſa per hoc principium oppoſitas propoſitiones verificamus, vt quod in ipſa minimũ ſit maximum, curuitas rectitudo, accidens ſubſtantia, ita omnia vt nihil omnium, & huiuſmodi; cùm enim ſit infinita, omnem ſupergreditur oppoſitionem.

ELEMENTVM III.

DEVS TRINVS.



Lemma I.

Triangulus eſt actu linea.

QVEMADMODVM dictum eſt de linea infinita, quod non minus eſt linea, quàm triangulus; ſic idem eſt aſſerendum de triangulo infinito, qui non minus eſt triágulus, quàm linea, circulus, & ſphæra. Quod licet per imaginationem, quæ genus ſenſibilium non tranſcendit, non poteſt capi; cum hæc huiuſmodi in quanto differant ſpecie, poterat ſaltem per intellectum commodè percipi. Nam manifeſtum eſt, non eſſe poſſibile niſi vnum infinitum. Præterea conſtat trianguli, cuius

vnum

vnum latus eſt infinitum, alia latera non eſſe minora; quoniam omnia duo latera cuiuslibet trianguli ſimul iuncta, tertio minora eſſe non poſſunt. Et quia quælibet pars infiniti eſt infinita, neceſſarium eſt, omnis trianguli, cuius vnum latus eſt infinitum, alia pariformiter eſſe infinita. Et quoniam plura infinita eſſe non poſſunt, triangulus infinitus ex pluribus lineis componi non poteſt; licet ſit maximus, veriſſimus triangulus, in compoſitus, ſimpliciſſimus. Et quia veriſſimus triangulus eſt, qui ſine tribus lineis eſſe non poteſt, erit neceſſarium ipſam vnicam infinitam lineam eſſe tres, & tres eſſe vnam ſimpliciſſimam, nec erit iſte maximus triangulus ex lateribus, & angulis compoſitus, ſed vnum, & idem eſt linea infinita, & angulus, ita quod, & linea eſt angulus, quia triangulus linea. Et quia hic eſt triangulus, qui non habet latus, niſi infinitum, erunt anguli maximi, & infiniti, quare vnus non eſt maior aliis. Et ſicut extra infinitam quantitatem, non poteſt eſſe quantitas, ita extra vnum angulum infinitum non poſſunt eſſe alij, quare vnus erit in alio, & omnes tres erunt vnum; ſic igitur apparet triangulum eſſe lineam, ſicut inferius etiam apparebit, eſſe circulum, & ſphæram.

Theorema II.

Deus eſt trinus abſq; numerali multiplicatione.

SIcut igitur triangulus non eſt plus triangulus, quàm linea, circulus, vel ſphæra, ſed eſt in veritate illa omnia abſq; compoſitione; ita conſimiliter Maxima Bonitas eſt vt maximum Lineale, quod poſſumus dicere eſſentiam, eſt vt Triangulare, & poteſt dici Trinitas, eſt vt Circulare, & poteſt dici Vnitas, eſt vt Sphærale, & poteſt dici Actualis exi-

ſtentia;

ſtentia; eſt igitur Maxima Eſſentia Trina, Vna, Actu; neq; eſt aliud Eſſentia, quàm Trinitas, neq; aliud Actualitas, quàm Vnitas, Trinitas, vel Eſſentia; quare Maxima Eſſentia eſt hęc omnia identice, & ſimpliciſſimè; Sicut igitur verum eſt Deum Vnum eſſe, ita verum eſt ipſum Trinum eſſe, eo modo, quo veritas Trinitatis non contradicit ſimpliciſſimæ Vnitati; ſicut videmus in Triangulo infinito non reperiri angulum vnum, & poſt alium, & tertiò adhuc alium, vt contingit in triangulis finitis, quoniam alius, & alius, & alius in vnitate trianguli abſq; compoſitione eſſe non poteſt, ſed Vnum abſq; numerali multiplicatione Triniter eſt; vnde Auguſtinus ait, *dum incipis enumerare Trinitatem exis veritatem*. Ex his apparet quod ſimpliciſſima Linea eſt Triangulus; & è conuerſo apparet etiam, quomodo anguli Trianguli per vnum, duo, tria, numerari non poſſunt, cũ quilibet ſit in quolibet; vt ait Filius *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Io. 14. Item veritas Trianguli requirit tres angulos; ſic in hac Diuiniſſima Trinitate veriſsimè ſunt tres anguli, & vnusquiſq; maximus, & omnes Vnum Maximum; ſic Filius inquit *Ego, & Pater vnum ſumus*. Io. 10. Requirit quod vnus angulus non ſit alius, ſic in hac infinita trinitate, licet veritas vnitatis ſimpliciſſimæ Eſſentię requirat; quod tres illi anguli non ſint aliqua tria diſtincta, ſed vnum in Diuina Eſſentia, tres Anguli, ſcilicet, Perſonæ Diuinæ inter ſe realiter ſunt diſtinctę, in quibus productio, & proceſsio intelligitur. Vnde ſicut dum facimus triangulum finitum, primo eſt angulus vnus, ſecundo alius, tertio tertius ab vtroq; qui anguli diſtinguuntur per diuerſam relationem, quam habent ad inuicem; ita idem eſt in infinito infinite, Filius eſt à Patre, Spiritus Sanctus ab vtroq; quę

Perſonæ diſtinguuntur, & conſtituuntur per relationes. Verum prioritas taliter debet concipi in æternitate, quod poſterioritas ei non contradicat; neq; enim alio modo prioritas, & poſterioritas in infinito æterno cadere poſſunt; vnde Pater non eſt prior Filio, & Filius poſterior. ſed ita Pater eſt prior, quod Filius non eſt poſterior, ita Pater prima perſona, quod Filius non eſt poſt hoc ſecunda; ſed quia Pater eſt prima abſq; priorita te, in Filius ſecunda abſq; poſterioritate, & Spiritus Sanctus tertia pariformiter. Hoc autem debet intelligi de quacunq; prioritate, excepta prioritate originis, ſic Pater eſt prior origine Filio; Pater, & Filius Spiritu Sancto; quæ prioritas nihil aliud importat, quam ordinem quendam preſuppoſiti ad preſupponens, quem ordinem non negamus in Diuinis.

Problema III.

Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, vnus Deus, diſtinguuntur, & conſtituuntur per relationes.

PErſonas diuinas relationes originis diſtinguunt, & conſtituunt quæ habent pro fundamento fęcunditatē Diuinæ Naturę non ſimpliciter, vt voluit Durandus, ſed quoad memoriam, & voluntatem; quæ Diuina Natura eſt etiam terminus formalis. Hæ relationes ſunt generatio, & proceſsio; verū generatio eſt vnitatis repetitio, vnitas vero ſimul repetita gignit vnitatis æqualitatem, quod idem eſt, ac ſi dicamus Vnitatem gignere Vnitatem, cum Pater generans ſit idem cum Filio genito eſſentialiter, licet diſtinguatur realiter, perſonaliter. hanc Vnitatem gignentem Sancti Doctores, Patrem, Vnitatis verò Aequalitatem Filium vocarunt, qui proprie de ſubſtanſtantia, ſiue de memoria Patris generatur; at ſicut generatio

neratio æterna eſt Vnitatis repetitio, ita proceſsio eſt repetitionis illius vnitatis connexio, quæ ab vnitate, & ab vnitatis æqualitate procedit, quam connexionẽ Sacri Patres dixerunt Spiritũ Sanctum, qui à Patre Filioq; liberè procedit per voluntatem, vt vnico principio ſpirante, à Filioq; diſtingueretur, etiamſi ab eodẽ non procederet. Et quamuis ab Vnitate gignitur vnitatis Aequalitas, & Cõnexio eſt procedens ab vtroq; quia tamen Vnitas eſt infinita, Aequalitas eſt infinita, & Connexio eſt infinita, & plura infinita eſſe non poſſunt, ergo ſunt vnum; quę Vnitas non facit, quin realiter diſtinguuntur inter ſe per relationem, & ab eſſentia formaliter, ſiue ex natura rei.

Theorema IV.


Deus eſt ita Trinus, quod non poteſt eſſe Quaternus.

Vltra hæc, quæ dicta ſunt obſeruare oportet, quod ipſum Maximum, & infinitum eſt ita Trinum, vt non poſsit eſſe Quaternum, vel Quinum; nam hoc repugnat ſimplicitati, & perfectioni ipſius Maximi; omnis enim figura polygonia prò ſimpliciſsimo elemento habet figuram triangularem, & illa eſt minima figura polygonia, qua minor eſſe nequit. Probatum autem eſt, quod minimum ſimpliciter cum maximo coincidit; & ſicut ſe habet vnum in numeris, ita Triangulus in figuris polygonijs, ſicut igitur omnis numerus reſoluitur in ſimplicem vnitatem, ita omnis polygonia in ſimplicem Triangulum; Maximus igitur Triangulus, cum quo minimus coincidit, omnem figuram polygoniam complectitur; Quadrangularis autem figura non eſt minima, quia ea eſt maior Triangulari; Maximo igitur ſimpliciſsimo,

quod cum minimo coincidit, quadrangularis figura nequaquam poterit conuenire, cum abſq; compoſitione eſſe non poteſt, cum ſit maior minimo; immo implicat contradictionem eſſe maximum, & eſſe quadrangulare; nam non poſſet eſſe menſura triangularium adæquata, quia ſemper excederet; Quomodo igitur eſſet maximum, quod non eſſet omnium menſura, quod eſſet ab alio, & compoſitum, & per conſequens finitum? Et quamuis in diuinis ſint quatuor Pater, videlicet, Filius, Spiritus Sanctus, & Eſſentia; tamen illa tria ſunt vnum cum eſſentia realiter; eſt enim vna ſumma Res ſimpliciſſima, cuius ſimplicitati, ſiue perfectioni repugnat quaternitas, vt dictum eſt, non tamen eidem repugnat Trinitas, hæc enim Eſſentia ſimpliciſſima eſt Vnitrina. Iam igitur patet, quare primò ex potentia lineæ ſimplicis oritur Triangulus ſimplex, quoad polygonias, deinde, vt apparebit, ex eadem linea oritur circulus ſimplex, tandem ſphæra ſimplex; & non deuenitur ad alias, quàm ad iſtas elementales figuras ad inuicem infinitas, omnes figuras inter ſe complicantes; quibuſq; menſurantur omnes quantitates menſurabiles pro longitudine, latitudine recti lineari, latitudine circuli, & profunditate, quę cũ ſint Infinitæ Maximæ, & multæ eſſe non poſſunt, erunt Vnum infinitum, omnium Menſura.

ELEMENTVM IV.

DEVS VNVS.



Lemma I.

Triangulus eſt circulus.

QVEMADMODVM ſuperius fuit oſtenſum Lineam Infinitam eſſe Triangulum, modo eſt oſtendendum, Triangulum Infinitum eſſe Circulum. Nam ponatur quod ſit Triangulus A.B.C.creatus per poſitionem, per circunductionẽ lineæ A.B. quousq;B.veniat in C.A.fixo remanẽte;non habet id dubiũ,quãdo linea A.B. eſset infinita,& penitus circunduceretur B.quousq; rediret ad initium ,circulum maximum creari, cuius B.C. eſt

eſt portio,& quia eſt portio arcus infiniti, tunc eſt linea recta B.C. Infinitum enim curuum eſt linea recta, vt ſuperius eſt oſtenſum, & quoniam omnis pars infiniti eſt īfinita,erit igitur B.C.nō eſt minor integro ambitu circunferentiæ infinitæ; igitur B.C. non tantum portio,ſed completiſſima circunferentia, quare neceſſarium eſt triangulum A.B.C. eſſe circulum maximum;& quoniā B.C.circūferentia eſt linea recta,nō eſt maior A.B. infinita, cum infinito non ſit maius. nec ſunt duæ lineæ, quia duo infinita eſſe non poſſunt, quare linea infinita, quæ eſt Triangulus eſt etiam Circulus; quod fuit propoſitum.

Theorema I I.

Deus Trinus eſt abſolutè Vnus.

MOdo conſiderandum eſt quomodo per hunc Circulum ducamur ad intelligentiam Vnitatis Diuinę. Circulus igitur cum careat principio, & fine, nec componatur ex pluribus lineis dicitur figura perfecta vnitatis, & ſimplicitatis; & quoniam, vt oſtenſum eſt, Triangulus eſt Circulus, ſequitur quod Trinitas ſit vnitas,iſta autem Vnitas eſt infinita, ſicut Circulus eſt infinitus; quia igitur eſt vnitas infinita, ſequitur, quod ſit vnior, aut identior omni expreſſibili vnitate. Nam tanta eſt ibi identitas, quod etiam omnes relatiuas oppoſitiones antecedit, quoniam ibi aliud, & diuerſum identitati non opponuntur; quare cum Maximum ſit infinitæ vnitatis, omnia, quæ ei conueniunt,ſunt ipſum abſq; diuerſitate,& alietate, vt non ſit alia bonitas eius, & ſapientia,ſed idem; omnis enim diuerſitas in ip ſo eſt identi-

identitas,quæ non obſtat, quin attributa diuina diſtinguantur inter ſe formaliter,& ex natura rei; ex quibus patet, quod eius potentia,cum ſit vniſſima, eſt etiam fortiſſima, & infinitiſſima. tanta eſt etiam eius vniſſima duratio, quod præteritum non eſt aliud a futuro, & futurum non eſt aliud à præſenti in eo,ſed ſunt vniſſima duratio, ſiue ęternitas ſine principio,& fine, nam tantum eſt in ipſo principium, quod,& finis in ipſo eſt principium. Quæ omnia oſtendit Circulus infinitus ſine principio, & fine,æternus, indiuiſibiliter vniſſimus, atq;capaciſſimus; Et quia ille circulus eſt infinitus, eius Diameter eſt infinita, & quia plura infinita eſſe non poſſunt,in tantum ille circulus eſt vniſſimus, quod Diameter eſt circunferentia; infinita vero Diameter habet infinitum medium, medium vero eſt centrum; patet igitur centrum, diametrum, & circunferentiam idem eſſe. Ex quo apparet Maximum eſſe, cui minimum non opponitur; centrum enim eſt in ipſo circunferentia; Apparet quomodo totum maximum perfectiſſime eſt intra omne ſimplex,& indiuiſibile,quia centrum infinitum;& extra omne, omnia ambirens,quia circunferentia infinita;& omnia penetrans,quia Diameter infinita; principium omnium, quia centrum; finis omnium, quam circunferentia; medium omnium, quia Diameter; cauſa efficiens, quia centrum; formalis,quia Diameter; finalis, quia circunferentia; dans eſſe, quia centrum; gubernans, quia Diameter; conſeruans, quia circunferentia;omnia in ipſo, ex ipſo, per ipſum, quia circunferentia, diameter, & centrum. Per quæ paradigmata apparet,ſimpliciſſimum omnia, quę ſunt & non ſunt, ambire, ita quod non eſſe in ipſo eſt maximum eſſe, ſicut minimum eſt maximum.

Theore-

Theorema III.


Deus omnia ambit ſua prouidentia, & ſcientia.

EX dictis manifeſtum eſt; Deum omnium complicationem eſſe, cum ſit circulus infinitus; vnde ſequitur nihil poſſe aufugere prouidentiam illius; ſiue enim nihil, ſiue aliquid, ſiue eius oppoſitum euenit, totum in Dei prouidentia implicitum eſt, & nil poteſt euadere prouidentiam eius; quidquid enim fit, ſecundum Dei prouidentiam fit. Item licet eueniret aliquid, quod nunquam eueniet, nil tamen adderetur diuinæ prouidentiæ, quoniam ipſa complicat tam ea, quæ eueniunt, quàm ea, quæ non eueniunt, ſed euenire poſſunt; & ſicut nil poteſt addi, ita nec diminui; & ſicut infinita Vnitas omnem numerum, ita Dei prouidentia infinitè cõplicat tã ea, quæ eueniunt, quàm ea, quæ non eueniunt, ſed poſſunt euenire. Similiter Deus omnia cognoſcit certè, & infallibiliter, etiam futura contingentia, non tamen eius ſcientia neceſſitat. Item ea, quæ cognoſcit, non cognoſcit cum differentia temporum, quia non ſit futura, vt futurá, & pręterita, vt præterita, ſed ęternè; & mutabilia immutabiliter; quocirca inuariabilis, & impermutabilis eſt; vnde etiam ſequitur, quod omnia dicantur habere neceſſitatem, prout ad ipſam diuinam prouidentiã, ſiue ſcientiam referuntur.

ELE-

ELEMENTVM V.

DEVS EST.



Lemma I.

Sphæra eſt Circulus.

EX eodem principio, quò ſuperius oſtendimus Triangulum eſſe Circulum, apparet Circulũ eſſe ſphęram; nam linea A. B. ſuperius poſita, eſt circumferentia maximi circuli,& eſt in triã gulo de B. ducta in C. ſed B. C. eſt infinita linea, vt ſupra probatum eſt; quare A. B. redijt in C. ſupra ſe reditione completa, & quando hoc eſt, ſequitur ſphæram neceſſariò exortam eſſe ex tali reuolutione Circuli ſupra ſe; & quia ſupra probatum eſt A.B.C. eſſe Circulum, Triangulum, & lineam, habemus nunc probatum eſſe etiam ſphęram.

Theorema II.

Deus eſt ſimpliciter ens.

SIcut ſphæra infinita eſt ineffabilis, aut omnium figurarum nominibus nominabilis, cum actu omnes figurę ſpecies contineat, quia eſt infinita; ſic Bonitas infinita eſt ineffabilis, vel per omne, quod eſt, nominabils; cum in ipſa ſit omne eſſe, quod ipſi primo,& immediate ineſt; vnde Mercurius Triſmegiſtus interrogatus, quid eſſet Deus,reſpondit, Deum eſſe ſphęram, intelligibilem, cuius centrum eſt vbiq; circunferentia nuſquam: dicitur ſphæra. quia eſt ipſum eſſe, & complementum omnis eſſe, quod eſſe eſt idem cum diuina eſſentia, ſicut ſphæra eſt ſolidum totaliter exiſtens; eſt ſphæra, quia caret principio, & fine; vnde eſt æternus;intelligibilis,quia incorporeus, & immaterialis; cuius centrum, ideſt, Indiuiſibilis,& ſimplex eſſentia vbiq; tota eſt, ſed circunferentia eius nuſquam eſt,quia à loco comprehendi non poteſt; vnde rectè dicitur id, quod eſt,& conſequēter propriè dicitur,quod Deus eſt,quę eſt propoſitio per ſenota.

Theorema III.

Dei eſſentia eſt communicata tribus diuinis perſonis.

IN hac ſphæra ſunt tres magnitudines maximæ,linea, videlicet, ſuperficies, profunditas, quarum idem fons, ac initium eſt centrum; linea eſt tantum producens, ideo intelligitur perſona Patris, quia eſt principium non de principio,& dicitur producens,

quia

quia eſt principium, à quo ſuperficies fluit, non eſt autem producta, quia licet dicatur fluere a puncto, non poteſt tamen habere ab illo aliquam quantitatem, cũ punctum ſit indiuiſibile; corpus vero dicitur productum tantum, quia profundum, quod eſt corpori proprium, fluit à ſuperficie; & dicitur non eſſe producens, quia non eſt intelligibilis vltrà corpus alias ſpecies magnitudinis; & per hoc intelligitur Spiritus Sanctus, qui ab aliquo procedit principio Patre, videlicet, & Filio, & nulla alia perſona diuina procedit ab ipſo; ſuperficies vero eſt producens, & producta; producitur enim à linea, & ipſa producit ſimul cum linea ipſum corpus; quæ ſuperficies intelligitur Filius, qui naſcitur ex Patre, & ab eo ſimul cum Patre procedit Spiritus Sanctus; centrum vero fons omnium magnitudinum, quatenus, eſt principium producendi per intellectum, & voluntatem, quodq; in productione eſt terminus formalis, eſt Diuina Eſſentia, indiuiſibilis tribus diuinis Perſonis, ſine ſui diuiſione communicata.

Theorema IV.

Deus eſt ſimpliciſſime omnia.

INſuper hæc ſphæra infinita habet tres lineas maximas in centro Bonitatis concurrẽtes, altera eſt mẽſura longitudinis eius, quæ eſt ęternitas, altera latitudinis, quæ eſt omnipotentia, poſtrema profunditatis, quæ eſt ſapientia; & quia centrum eſt maximæ ſphærę ęquatur Diametro, & circunferentiæ, ideo tribus illis ſuperius poſitis magnitudinibus, & lineis centro Bonitatis æquatur; immo tale centrum eſt omnia illa, & è contra; Pater enim eſt Deus, Filius eſt Deus,

Spiritus Sanctus eſt Deus;& è contra Deus eſt Pater, Filius,& Spiritus Sanctus; erit igitur Maxima Bonitas vnum ſimpliciſsimum, atq; infinitum, & omnis longitudo, latitudo,profunditas omnium, quæ in ipſo exiſtunt,ſunt vnū,ſimpliciſſimū,indiuiſibile maximū.

Theorema V.

Deus eſt penitus in actu.

SIcut ſphęra infinita eſt penitus in actu, & ſimpliciſſima;ita maxima Bonitas eſt penitus in actu, & ſimpliciſſima.Et ſicut ſphæra eſt perfectio figuratum, qua maior non eſt; ita maxima bonitas eſt omnium perfectio perfectiſſima, adeo quod omne imperfectum in ipſo perfectiſſimum eſt. Et ſicut infinita linea eſt ſphęra,& in ea curuitas eſt rectitudo, compoſitio eſt ſimplicitas,diuerſitas eſt identitas,alteritas eſt vnitas,quod in ipſa contingit,quia eſt infinita,&illimitata;nam alteritas, & oppoſitio in ſolis terminatis reperiuntur;ſic in bonitate infinita illimitata omnis differentia tranſit in concordantiam,inęqualitas in æqualitatem, curuitas in rectitudinem,tenebræ in lucem, imperfectio in infinitam perfectionem, poſſibilitas in actum,atq; in ipſa non eſt minus totum,quàm pars,ſicut non eſt maior ſphæra, quàm infinita linea; atq;ita tranſcendit omnem oppoſitionem.Et ſicut ſphæra eſt actus, Lineæ, Trianguli,& Circuli; ita Maxima Bonitas eſt omnium actus;quocirca eſt forma formarū, ſiue maxime actualis entitas, ſiue vnitas fæcundiſſima, quæ in ſphæra ſe habet vt centrum ; pro cuius centri extenſione, ſiue communicandi modis variæ naſcuntur circunferentię,& figuræ, prout in ſequentibus elementis patebit.

ELE-

ELEMENTVM VI.

DEVS PRODVCENS.



Theorema I.

Pater eſt æternaliter generans, & vna cum Filio producit Spiritum Sanctum.

CENTRVM in ſphęra infinita eſt Vnitas per ſe ab ęterno ſubſiſtens, quæ eſt Bonitas infinita, quę eſt intimè ſibi fæcunda; fæcunditas vero Diuinę Eſſentiæ quoad memoriam, & intellectum ad intra, ſe extendit in ſphæram, habens tres magnitudines, eo modo, quo ſupradictum eſt, longitudinem, ſcilicet, latitudinem, & profunditatem; per quæ deſignantur tria diuina ſuppoſita; hęc autem, videlicet, linea, ſuperficies, & corpus, cum ſint infinita, ſunt ſumma æqualitas, vnde non fuit prius centrum, quam linea

neq;

neq; prius centrum, linea, quam corpus, & ſuperficies ſimiliter, neq; prius centrum, linea ſuperficies, quã corpus, non enim eſſent ſumma æqualitas, neq; vna infinita æqualitas, quare in illa infinitate non eſt niſi æternitas, quare ab æterno eſt centrum linea, ſuperficies, corpus; ſed linea, ſupercies, corpus ſunt explicatio centri, quod eſt fundamentum, & baſis; ſuperficies vero explicatio lineæ, corpus explicatio ſuperficiei, & lineæ; quare Linea in æternitate eſt æternaliter generans, ſeu explicans de ſua virtute complicante genitam ſibi conſubſtantialem ſuperficiem, & Linea cum ſuperficie eſt æternaliter explicans de ſua virtute com plicante corpus, ſeu ſphęram. Sic centrum bonitatis æternę ſe habet ad fæcunditatem ad intra; qui fluxus infinitæ fæcunditatis generationis ſcilicet, & proceſſionis non tempore, ſed æternitate menſurantur; Ex quibus apparet, quod in diuinis eſt productio.

ELE-



Theorema I.

Creator omnia creauit de nihilo.

QVEMADMODVM Mathematicus dum depingit circulum, primo ponit centrum, punctuale, deinde extendit in lineam punctum, tandem ſuperinducitur linea ſuper puncto, & ſic ex puncto, & linea recta oritur linea circularis; ſic Creator æternus ad ſe ipſum, vt ad centrum ſuę infinitæ fæcunditatis reſpiciens, vidit eſſentiam creaturarum, in qua eſt principium complicatiuum virtutis, quod eſt centrum, ſiue entitas creaturæ, quę compli-

cat

eat in ſe creaturę virtutem; hoc centrum explicauit Creator eo temporis pūcto, quo ſibi placuit;explicauit inquam, virtutem entis in centro complicatam, quaſi in educta linea, quæ eſt virtus entis à primo ente procreata, qua linea varie circumflexa diuerſæ exortæ ſunt figuræ, hoc eſt, entium genera. Ex centro vero, & linea procedit circumferentia operationum, quarū infinita ſphęra eſt ſimpliciſſima mēſura;omnis.n.viuificatio, motus,& ītelligētia exipſo,p ipsū, in ipſo eſt. Itèm ſicut mens noſtra volens figurare,incipit ab vno puncto, & illum extendit in lineam, deinde illam flectit in angulos, & facit polygoniam; ſic Omnipotens Creator ex vno pnncto fecit prodire vniuerſi circumferentiam de nihilo, in qua variæ exiſtunt polygoniæ hoc eſt,variæ entium ſpecies, quę habent pro Centro entitatem, ſiue materiam,pro Linea formam, pro Peripheria nexum vtriuſq;

Theorema II.

Creator creauit vniuerſum ſimile ſibi.

ET quoniam Vniuerſum à Creatore habet omne id,quod eſt,quatenus participat eius eſſe;propterea Vniuerſum poteſt dici euolutus Deus, vt linea eſt euolutus punctus; ſic Deus eſt complicatum Vniuerſum, ſicut punctus complicata Linea, ſed neq; Linea Punctus, neq; Vniuerſum Deus. Veruntamen factorem ſuum, quantum poteſt, imitatur; Deus enim eſt abſolutam Vnitas, in qua ſunt omnia ſine pluralitate ſimpliciſſime, ſicut, in infinita Linea omnes figuræ.Vniuerſum & ipſum eſt vnum;in ipſo enim omnia ſunt, vnum, non tamen ſine pluralitate, vt linea

nea contracta eſt cõtractæ omnes figuræ; & ſicut Deus eſt Trinus; ita Vniuerſum eſt trinum, non quidem abſolutè, vt trinitas ſit vnitas, ſed contractè, ita quod non ſit niſi in trinitate, ſicut totum in partibus; Diuina vero Vnitas non eſt in trinitate, vt totum in partibus, ſeu vt vniuerſale ĩ particularibus, ſed ipſa vnitas eſt trinitas; vnitas vero Vniuerſi in trinitate eſt trina, cum omnia, quæ in ipſo ſunt compoſita exiſtunt ex tribus actu, videlicet, potentia, & nexu.

Theorema III.

Creator eſt infiniti vigoris.

AT ſicut capacitas circuli omnium polygoniarum formabilium capacitatem excedit, & in ſe complicat omnem capacitatem; immo ſi circulus datur, qui ſit æqualis peripheriæ cum polygonia, non tamen propterea eſt æqualis capacitatis, ſed ſemper maioris, & nunquam deſerit perfectionem ſuam; ſic centrum infinitæ Fecunditatis, quod eſt idẽ cum circulo, licet ſit ſumma æqualitas, & vera rerum menſura, hancq; rerum vniuerſitatem de nihilo procreauerit, non tamen propter hoc deſinit eſſe infiniti vigoris, & exhauſta eſt eius omni potentia; proinde potuit, & poteſt alios Mundos, etiam perfectiores creare. Et quia circulus eſt capaciſſimus, complicat in ſe omnes polygonias datas, & dabiles; eodem modo centrum maximæ fæcunditatis, cum ſit infiniti vigoris complicat in ſe creaturas productas, & poſſibiles produci. Verum circulus infinitus omnem terminatam figuram; ſeu formam in ſe complicat, aliter quam circulus finitus; nam quia iſte eſt capaciſſimus, in ſe

contінet minus capaces figuras; infinitum vero non ſic complicat, ſed ſicut vnitas, ſeu æqualitas. Perfectio vero, & complicatio tanto eſt maior, quanto forma eſt vnior, & ſimplicior; circulus autē eſt ſimplicior omni formabili figura, ideo vis capacitatis eius eſt perfectiſſima inter figuras; eodem modo forma illa, quæ ob ſuam infinitam ſimplicitatem eſt omnium formarum forma, eſt omnium perfectiſſima capacitas.

Theorema IV.

Creator ad exemplar ſui ipſius conuerſus. omnia creauit.

ET quoniam in centro infinito, Trigonus eſt centrum infinitum, Tetragonus eſt centrum infinitum, & ita conſequenter; propterea centrum infinitum eſt forma formarum, figura figurarum, idea Trigoni, Tetragoni, Pentagoni, Aequalitas eſſendi Trigoni, Tetragoni, atq; ad poſitionem centri infiniti, ſequitur omnes figuras id eſſe, quod ſunt; hoc centrū eſt Deus principium rerum, ex quo eſt ipſum eſſe & omnia, quæ quomodo libet ſunt, omne initium, omnium finis. At quemadmodum Mathematicus dum Trigonum depingit quantum, non ad Trigonum reſpicit quantum, ſed ad Trigonum ſimpliciter abſolutū ab omni quantitate, qualitate, magnitudine, & multitudine, vnde, quòd quantum depingit, non recipit ab exemplari; ſic illud centrale exemplar, ad quod reſpicit Creator, dum vniuerſum creauit, eſt immateriale, ſimpliciſſimum. Et ſicut linea curua in eo, quod linea, ab infinita eſt, in hoc quod curua non ab infinita, ſed curuitas ſequitur finitatem, quoniam ex eo curua, quia

non infinita; ſic vniuerſum in eo quod vnum, & diuiſum, connexum ab exemplari infinito, quod autem eius vnitas ſit in pluralitate, diuiſio inconfuſione, connexio in diſcordia ab exemplari non habet, ſed à contingentia. Verum ſicut ille triangulus infinitus, qui eſt exemplar, ad quod Mens figurantis trigonum intuetur, non eſt alius ab illo exemplari, in quod reſpicit Mens, dum depingit tetragonum, vel pentagonum, vel circulum; circulus enim ille, ad quem Mens, circulum depingens ſe conuertit, cum non ſit quantus, non eſt maior, aut minor trigono nõ quãto, ſed ipſa eſt æqualitas eſſendi. Vna igitur eſt infinita eſſendi æqualitas, ad quam reſpicit Mens, dum varias figuras depingit; ſic Creator, cum omnia creauit, ad ſe ipſum conuerſus omnia creauit, quia ipſe eſt infinitas illa, quę eſt eſſendi æqualitas.

Theorema V.

A Creatore omnis Creatura dependet.

Effluit autem creatura eo meliori modo, quo patitur Naturæ conditio in ſimilitudinem Creatoris; nam circunferentia ſphæræ infinitæ eſt infinita rectitudo; creatura autem eſt veluti quædam curuitas ab ipſa infinita rectitudine cadens, tanquam ab exemplari ſuo; curuitas enim non habet exemplar, niſi rectitudinem; qui enim vult depingere curuam lineam, reſpicit mente ad rectam, & facit illam cadere ab illa reflexè. Curuitas autem, quę eſt propinquior infinitæ rectitudini, eſt curuitas circularis; infinita enim rectitudo eſt ipſa æternitas, quæ non habet principium, neq; finem, neq; medium, nec qualitatem, nec

quantitatem; circularis autem curuitas, quæ neceſſario eſt compoſita, habet coincidentiam principij, & finis, & eſt neceſſariò à rectitudine infinita, tanquam à principio ſuo; curuitas enim ex ſe non eſt, ſed ſub illa rectitudine eſt, quæ eſt eius menſura; rectum enim menſurat curuum; cadit igitur circularis curuitas perfectiori modo à rectitudine infinita, quàm non circularis; vnde meritò per talem circularem curuitatem ſupernæ Mentes poterunt intelligi. Sicut enim curuitas circularis non eſt ex ſe, ſed ex rectitudine; ita ſupernę mentes ſiue Angeli non habent eſſe ex ſe, ſicut & omnis alia creatura, ſed neceſſario à Deo dependent. Et quemadmodum curuitas circularis habet ſimilitudinem cum æternitate, quatenus in ipſa coincidunt principium, medium, & finis; ita Angelicæ Mentes ſunt ęternæ, & incorruptibiles poſitiuè, & ab intrinſeco. Et ſicut curuitas circularis neceſſariò eſt compoſita ex linea, & curuitate; ita Angelici Spiritus, cùm ab ipſo Deo, qui eſt actus purus, elongentur, carēt aliquo gradu perfectionis, ac proinde quodammodo compoſiti ſunt ex actu, & potentia; non tamen ſunt corporei, aut ex materia, & forma compoſiti, & quamuis ſint penitus incorporei; & immateriales, exiſtunt tamen in loco per eſſentiam. Et ſicut curuitas circularis habet determinatam periphæriam non in infinitum extenſam, aut in indiuiſibili complicatam; ita Angeli habent determinatam ſphæram, in qua tanquam in loco ſint, vnde non poſſunt eſſe in loco quantocunque magno, aut quantocunq; paruo. Ab eadem infinita rectitudine cadunt variæ figuræ polygoniæ, curuitates, ſcilicet, angulares, inter quas, illa eſt perfectior, quæ eſt plurium angulorium, cùm ſit ſimilior circulo, per quam intelligitur creatura rationalis, ab Angelis

pau-

paulominus minorata. Amplius quanto minus polygonia habet de angulis, tanto magis recedit a ſimilitudine circuli, & minus participat ſimilitudinem rectitudinis infinitæ, vt ſunt aliæ creaturæ, quæ habent ſentire, aut viuere, aut eſſe tantum. Cum igitur ex centro infinito oritur linea, id eſt, virtus entis, ex qua cauſantur circulus, & variæ polygoniæ; minimæ capacitatis eſt figura trigona, vt creatura, quæ participat tantum eſſe, maximę capacitatis circulus, vt ſupernæ Mẽtes Creatori ſimiliores; at quę cadunt in medio polygonię, ſunt maioris capacitatis trigono, minoris capacitatis circulo, quæ quo plurium fuerint angulorum, eo capaciores, & ſimiliores erunt ipſi rectitudini, & quo paucorum angulorum, eo diſſimiliores, & minus capaces. In omnibus igitur creaturis eſt participatio Diuinæ eſſe, in alijs quidem clarius, in aliis autem obſcurius; ita vt eſſe creaturæ ſit ab infinita forma, ſicut eſſe lineę curuæ eſt ab ipſa infinita recta, quæ tamen nõ informat, vt forma, neq; enim ex infinita lineà, & finita curua poteſt vnum exoriri compoſitum, quod abſq; proportione eſſe nequit; proportio enim inter finitũ, & infinitum cadere non poteſt; ſed ſe habet ad creaturam forma illa archetypa, vt cauſa, & ratio, quam rationem non poteſt participare, partem capiendo, cum ſit infinita, & indiuiſibilis eo modo, quo materia participat formam, aut totum participatur partibus; ſed dicitur participare formam infinitam, quatenus eſſe creaturę eſt quædam ipſius Diuini eſſe reſplendentia, non in aliquo poſitiuo recepta; quemadmodum fortaſſis ſi penitus artificioſum ab idea artificis dependens non haberet aliud eſſe, quàm dependentiæ; à quo haberet eſſe, & ſub cuius influentia conſeruaretur; ſicut imago ſpeciei in ſpeculo poſita, quod quidem ſpeculum

an-

ante,aut poſt per ſe, & in ſe nihil ſit; ſic in creaturis eſt imago Diuinæ Bonitatis,aut ſaltem veſtigium,quę ad ipſam habent relationem realem, licet ipſa Diuina Bonitas non habeat relationem realem, ſed tantum rationis ad ipſas creaturas.

Theorema VI.

Creator creauit Angelos, & homines capaces beatitudinis.

ITem ſicut circulus, & plurium angulorum polygonia ſunt ſimiliores infinitę rectitudini; ita eminentiori quodammodo ad ipſam eleuantur; per circulum ſimplicem Angelus intelligitur, cum ſit ſimplicioris,& perfectioris ſubſtantiæ; homo vero deſignatur per exagonum, cum ſit prȩditus non ſolum eſſe, vita,& ſenſu,ſed etiam memoria,intellectu,& voluntate. Modo ſicut curuitates circularis,videlicet,& angularis eleuarentur ad infinitam rectitudinem, à qua cadunt reflexè,non verterentur in ipſam,nec ipſæ curuitates rectitudinem infinitam poſſent in ſe abſorbere,cũ illa eſſet infinita, ſed illarum eſſe curuum quodammodo abſorberetur in ſimilitudinem eſſe recti; ſic Angelus,& homo quando eleuantur ad Deum per voluntatem charitate formatam, & intellectum luminæ Gloriæ prȩditum non vertuntur in eſſe Diuinum, aut eſſe Diuinum in ſe vertunt, ſed illorum eſſe abſconditur,& perficitur in diuino eſſe per viſionem, & fruitionem beatificam; per intellectum enim vident Diuinam Eſſentiam,non per aliquam ſpeciem,ſed per ipſam Diuinam Eſſentiam;per voluntatem vero liberè fruuntur ipſa Diuina Eſſentia, tanquam vltimo fine,

ne, qui eſt obiectum fruitionis beatificæ; cum fruitio ſit actus perfectus voluntatis, in quo formaliter conſiſtit Beatitudo. Et intellectus beati, ita videt Eſſentiam, vt non poſſit, non videre Perſonas, & voluntas ita fruitur Eſſentia, vt non poſſit, non frui Perſonis; quamuis non repugnet, intellectum videre Eſſentiam non videndo Perſonas, & voluntatem frui eſſentia non fruendo Perſonis.

Theorema VII.

Creator condidit creaturas intellectuales capaces Beatitudinis non præcisè, & æqualiter.


AMplius ſicut circulus, licet ſit perfectiſſima figurarum, non poteſt æquari infinitæ rectitudini; & polygonia, quamuis quanto plurium angulorum inſcripta fuerit, tanto ſimilior ſit circulo, nūquàm tamen ſit æqualis; ſic intellectus beatorum nunquam poteri adequari infinito intelligibili, adeo vt ipſum comprehendat; eſt enim omni mente immenſurabile, cum ſit maius omni capacitate. Quare non eſt attingibile ſecundum ſe, ſed vt eſt attingibile in attingente, hoc eſt, in æqualitate menſuræ attingentis ipſum; ſic beati non attingunt infinitum intelligibile præcisè, & æqualiter, ſed ſecundum menſuram ſuæ capacitatis. Sicut enim vnum viſibile per multos videtur, tamen illi æqualiter videre nequeunt; vnuſquiſq enim per proprium, & ſingularem angulum oculi viſibile apprehendit, & menſurat ipſum, non tamen iudicat viſibile maius, nec minus eſſe, quã vt oculo ſuo attingat, nec attingitur viſibile per aliquem oculum præ-

precisè, vt eſt viſibile ſic beatorum mentes non videt ipſum viſibile beatificum precisè, aut æqualiter, ſed ſecundum angulos capacitatis vniuſcuiuſq; qui anguli ſunt inequales ex maiori, vel minori copia luminis gloriæ, per quod intellectus eleuatur ad beatificam viſionem, in qua ſola tandem conquieſcit, iuxta illud Diuini Vatis. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Pſa. 16 Item intellectus videtur quaſi vnus punctus, qui eductus in vnam lineam, extenditur, vt fiat alicuius capacitatis, & fiat, vt trigonus; & quia intellectus habet intellectualem vitam, & guſtat ſe extenſum eſſe in quandam capacitatem extendit ſe in maiorem, tetragonam, vel pentagonam; neq; vnquam poteſt ſe extendere ad talem capacitatem, quin poſſit eſſe capacior, niſi accedat ad circuli capacitatem, qua maior eſſe non poteſt, quæ eſt capacitas Viſionis Beatificæ, quam naturaliter appetit, & in qua ſola conquieſcit; ad quam capacitatem propria virtute intellectus non poteſt eleuari, ſed ex gratia Creatoris, mediante lumine Gloriæ (quamuis hoc de potentia Dei abſoluta non ſit neceſſarium) eleuatur ab angulari finita capacitate ad circularem capacitatem infiniti intelligibilis, qua ipſum comprehendit totum, licet non totaliter; ſicut & voluntas mediante charitate eleuatur ad circularem capacitatem infiniti diligibilis; qua ipſum diligit propter ſe, conſequenter vero quatenus eſt bonū ſibi ſufficiens.

ELE-

ELEMENTVM VIII.

DEVS HOMO.



Theorema I.

Verbum Patris fuit vnitum hypoſtaticè naturæ humanæ.

QVANDO venit plenitudo temporis multis reuolutionibus præteritis centrum Diuinæ Bonitatis, trinum, vnum, infinitum, modo nobis incognito, ineffabili, venerando ſe explicuit perfectiori operatione, quam omnipontentia poteſt habere. Polygoniam enim delineauit, ad infinitum circulum ſui ipſius attractam, atq; in ipſo inſcriptam. Hęc polygonia eſt Humanitas Saluatoris, quæ

ad circulum infinitum eſt eleuata, hoc eſt, infinito, & æterno Verbo hypoſtaticè vnita altiſſima vnione, qua Natura humana attrahitur ad Diuinam in altiſſimo gradu, ita vt eleuatiùs attrahi nequeat. Hęc polygonia, ſiuè Humanitas in angulis finitis proprię, videlicet, perſonalitatis non ſubſiſtit, ſed in circulari figura hoc eſt, in Diuinæ Naturę hypoſtaſi; quare nōn habet propriam ſubſiſtendi figuram præter æternam circularē, qua Diuina Filij Natura ſubſiſtit. Vnde in eodem ſuppoſito ſunt duæ naturę, duo eſſe, & duæ filiationes reales, humana, ſcilicet, & diuina, ſicut ſi figura infiniti circuli, & finita Polygonia eadem ſubſiſtentia ſubſiſterent. Et ſicut polygonia, quę terminaretur ad ſubſiſtentiam circuli infiniti, haberet relationem ad circulum infinitum; ſic Humanitas Saluatoris dicit realem relationem dependentiæ ad diuinum ſuppoſitum, tanquam ad terminum totalem; terminus vero formalis in hac inenarrabili Humanitatis ad Diuinitatem vnione eſt ipſa perſonalitas.

Theorema II.

In Redemptore eſt vnio Naturæ Diuinæ, & Humanę, non compoſitio.

QVemadmodum polygonia, quæ ſubſiſteret in circulo infinito, nulla alia intermedia figura vniretur circulo; ita Humanitas Saluatoris ſine vllo medio exiſtit vnita verbo; vnde maxima eſt vnio, vbi vnitum ſubſiſtit immediatè in vniente; ſic filiatio humana ſubſiſtit in filiatione diuina, & natura humana in natura diuina, ſicut

ma-

maxima vnione vnitum in vniente. Et licet eſſet maxima vnio polygoniæ finitæ cum circulo infinito non tamen eſt quouis modo ſimilis vnioni, qua centrum infinitum, linea infinita, & circũferentia infinita vniũtur in ſphęra infinita. Sic vnio, qua Deus pater eſt vnitus Deo filio ſuo eſt Spiritus Sanctus; & ideo eſt infinita vnio, quæ importat identitatem abſolutam, & eſſentialem; non ſic Natura Humana vnitur Naturę Diuinæ. Nam Humana Natura non poteſt tranſire in vnionem eſſentialem cum Diuina, ſicut finitum non poteſt eſſentialiter infinito vniri; tranſiret enim in identitatem infiniti, quare non eſt vnio, quæ dicat coincidentiã Diuinitatis, Humanitatisq; eo modo, quo coincidentia facit vnum eſſe aliud; Nam Natura Humana non eſt Diuina; neq; e conuerſo; neq; Diuina Natura eſt mutabilis, aut alterabilis in aliam naturam, cum ſit ipſa Aeternitas; neq; Natura Humana per vnionem ad Diuinam tranſit in aliam naturam. Et quãuis polygonia finita ĩſcripta ſit circulo infinito, nõ tamen ex circulo infinito, & polygonia finita fit compoſitio, ſed vnio; Nam inter componentia proportio eſt neceſſaria, ſine qua non poteſt eſſe compoſitio, finiti enim ad infinitum nulla eſt proportio; ſic ex infinita Diuinitate, & Humanitate finita non fit compoſitio, quaſi dominus Ieſus ſit compoſitus ex Deo, & homine; ſed in ipſo eſt vnio Diuinæ creantis Naturæ, & Humanę creatę Naturę; quę vnio non eſſentialis, aut proprie accidentalis, ſed ſubſtantialis poteſt nuncupari. Et quemadmodum illa polygonia eſſet ſimillima circulo, quæ in figura circuli immediatè, & proxime ſubſiſteret; ſic humanitas Saluatoris eſt ſimilis Diuinæ naturæ, cum ſit immediate iuncta exemplari ſuo, & eſt ita ſimilis, quod magis ſimilis nec eſſe, nec cogitari poteſt.

Theorema III.

Redemptoris incarnatio maximum opus omnipotentiæ Dei.

EX dictis colligitur, quod hęc centri explicatio eſt perfectiſſima operatio maxime Dei potentiæ infinitæ, & interminabilis; ſicut enim potentia circuli infiniti eſt interminata inangularis, quæ in ſe complicat omnes angulares terminationes datas, & ſemper dabiles, nec eſt terminabilis, niſi a ſe ipſa terminaretur, infinitum enim non habet alium terminum, quàm ſe ipſum; ſic omnipotentia Dei non eſt terminata niſi in ſe ipſa, cum ſit infinita, quare in nulla creatura terminatur, quia data quacunq; creatura, ipſa infinita potentia poſſet ad huc creare meliorem, & perfectiorem. At ſi homo eleuatur ad vnitatem ipſius Potentię, & non ſit homo in ſe ſubſiſtens creatura, ſed in vnitate cum infinita Potentia, non eſt illa Potentia in creatura, ſed in ſe ipſa terminata. Hoc admirandum opus, iam à Deo pręordinatum ſupra omne tempus in ęternitate, nouiſſimis diebus prodijt, quo aliud non potuit prodire ordine, & modo meliori, quo ſolo excepto, omnia perfectiora ab illa omnipotentia poſſunt prouenire, ipſo autem nil perfectius; apparuit enim homo, quod Deus, & ita Deus, quod homo. Et quemadmodum in circulo infinito poteſt delineari polygonia abſq; eiuſdem circuli variatione, & minoratione, circulus enim non ſuſcipit incrementum, aut decrementum, ſic omnipotentia Trinitatis potuit eleuare Humanitatem ad diuini-

134
ꝟinitatẽ non immutata, aut minorata diuinitate; cum ſit per ſe immutabilis.

Theorema IV.

Redemptoris incarnatio maximè conueniens diuinę bonitati.

HOc magnum opus Trinitatis, quod eſt Incarnatio diuina, non modo non eſt repugnans, ſed conueniens immenſæ Bonitati eius, quæ, ſicut in principio temporis tanquam centrum ſe explicauit in circumferentiam creaturarum, participans illis eſſe, ſic in tempore gratię eandem creaturarum circunferentiam in vna Chriſti Saluatoris Humanitate, tanquam centro complicatam, rurſus ad centrum ſui ipſius reuniuit; vnde Deus factus eſt homo. Quod centrum Humanitatis, identificatũ cẽtro Diuinæ circunferentiæ identitate perſonali, continet plenitudinem omnium perfectionum Vniuerſi; ita vt in hac ipſa Humanitate omnia ſupremum gradum adepta fuerint; quod a diuina bonitate fuit ab æterno prouiſum, vt tandem hoc centrum, quod eſt Deus homo, ſe ſe explicaret in circumferentiam oſtenſionis gratiæ Dei, atq; ſapientiæ eius in laudem gloriæ eius creaturis rationabilibus.

Problema V.

Redemptor natus eſt ex Virgine, etiam à labe peccati originalis præſeruata.

DEus Pater theſauros ſapientiæ ſuæ recondidit apud illam creaturam, in qua Verbum Humanam Naturam induit, vt patrem reuelaret, nec enim homo ſine filij reuelatione poſſet ad cognitionem gloriæ Dei, hoc eſt, ad ſuam felicitatem per uenire. At quemadmodum verbum mentale non eſt oſtenſibile alijs, niſi inducat ſenſibilem figuram vocis, quod quidem pręſtat ſpiritus naturalis, qui ex attracto aere adaptat vocalem figuram mentali verbo conuenientem, ac tali ipſum verbum vnit, vt vox ipſa in ipſo uerbo ſubſiſtat, atq; ita uerbum mediante voce oſtenditur; ita æternus Pater immenſæ Bonitatis nobis volens diuitias Gloriæ ſuæ ad omnẽ ſcientiæ, & ſapientię plenitudinem oſtendere, Verbum Aeternum, filium ſuum, quoniam aliter, quàm in ſenſibili, & nobis ſimili forma percipere non poteramus, ipſum ſecundum noſtram capacitatem manifeſtans, Humana natura induit per Spiritum Sanctum, ſibi conſubſtantialem; qui quidem Spiritus ex puriſſimo ſanguine, quaſi ex aere attracto per inſpirationem, de puritate fæcunditatis Virginalis ab omni labe peccati, etiam originalis ex priuilegio libera, ſenſibilem formam, id eſt, corpus ipſum animale contexuit, rationem adijciens, vt homo eſſet Verbum Patris. Quæ omnia non ſeriatim, vt in nobis, ſed per operationem momentaneam ſupra omne tempus, conformem infinitę poten-

tię

tię peracta ſunt; quare & a matre ſine virili ſemine. Omnis autem operatio ex Spiritu; & amore quodam procedit vnde & hęc maxima operatio ſupra omnem naturæ proportionem procedit ex maximo vniente amore, qui eſt Spiritus Sanctus, per quem ſolum ſine adminiculo agentis infra latitudinem ſpeciei concipere potuit Mater Virgo Filiũ Dei Patris, non via Naturæ, ſed ſupra omnem Naturę proportionem; terminus enim talis generationis caret termino, ac proinde finitatione, & proportione.

Theorema VI.

Redemptor illuminat homines venientes in hunc Mundum.



SICVT enim centrum circuli eſt in profundo occultatum, in cuius ſimplicitate eſt vis omnia complicans; ſic in hoc centro mediatore omnes the-

theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ Dei eſſe abſconditos diuus Paulus teſtatur ad Col. 2. Qui abſconditi fuerunt, dum in mundum apparuit, quaſi lux in tenebris lucens; vnde ipſo ſolus intelligens potuit reuelare iuſtitiam ſuam, menteſq; humanas, depulſis tenebris, radio ſupernaturalis ſapientiæ illuſtrare; ipſe enim Ieſus omnia intelligit; atq; in ipſo eſt vnitum intelligere humanum ipſi intelligere diuino, ſicut perfectiſſima imago veritati exemplari, ob quam vnionem intellectus humanus Chriſti fuit comprehenſor.

Theorema V I I.

Redemptor paſſus eſt pro ſalute hominum.



QVEMADMODVM centrum, quod eſt Chriſtus Dominus ſe dilatauit in circumferentiam, id eſt, oſtenſionem ſapientiæ feli-

licitantis hominem, ſine qua homo artem ignoraret, qua ad felicitatem duceretur; ipſe enim ſolus eſt, in quo Deus omnes diuitias glorię ſuæ perfectiſſimè recondidit; ſic voluit deinde ſe explicare in Periphæriam oſtenſionis Gloriæ Dei in reparatione lapſi, & iuſtificatione impij. Nam ad aſſequendum donum gloriæ, qua natura noſtra ſuperinduatur, vt fiat fœlix, non ſufficit euangelizatio, in qua gloria Dei manifeſtatur, ſed requiritur Spirituum noſtrorum purgatio, & adoptio ad capacitatem luminis glorię; Quare Dominus Ieſus non ſolum doctrina, ſed merito ſuo, nos purgare, & illuminare voluit, vt ſic in ipſo perfectiſſimè gloria Dei manifeſtaretur; propterea effluxit in pentagonam periphæriam, cuius centrum eſt infinita eius charitas, quod centrum dilatauit in periphæriā quinque angulis terminatam, cum corpus ſuum tradiderit in mortem Crucis, qua quinq; anguli ſui ſanctiſſimi corporis manus, videlicet, pedes, & latus fuere transfoſſi, vt merito ſui ſanguinis, purgationem animarū à peccatis reciperemus. Pentagrōmum Antiochus Syriæ Rex, eiusq; milites, tanq; ſalutis ſymbolum venerabantur; quaſi per pentagonum Crucis effigiem, venturæ ſalutis ſpem voluerint præmonſtrare. Voluntaria igitur innocentiſſima, ac crudeliſſima hominis Chriſti mors Crucis peccatorum noſtrorum extinctio, ſatisfactio, atq; purgatio fuit, ita vt omnia naturæ humanæ facinora in ſuo humano corpore, non propter ſe, cum peccatum non fecit, neq; facere potuit, ſed propter nos mortificauerit, vt omnes homines omnium peccatorum ſuorum purgationem reciperent in ſe ipſo. Quare conceptus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt, vt hominem à peccato liberaret, Sed etiam

ad gloriam ſuam, & perfectam beatitudinem, noſtrã naturam perduceret; vnde ſi homo non peccaſſet adhuc verbum Naturam Humanam aſſumpſiſſet.

Theorema VIII.

Redemptor vere fuit mortuus.

Sicut ſexagonum in circulo infinito, & pentagonũ in ſexagono; ita Ieſu Chriſti humanitas in abſoluta vita, & in humanitate paſſibilitas, & mortalitas; non enim eſſet Deus, niſi vita abſoluta intellectui humano Chriſti, & per illum corpori eſſet vnita; nec verus homo, niſi mortalis; nec mortalem naturam ad immortalem potuiſſet euehere, niſi ſpoliata mortalitate per mortem; non potuit igitur Chriſtus homo paſſibilis, & mortalis ad Gloriam patris peruenire, quæ eſt ipſa immortalitas, niſi mortale immortalitatem indueret; quod fecit ſoluto debito mortis, propter quod ait ipſa veritas, *ſic oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*, Luc. 24. Quam mortem ſubijt; vt ſecum reſurgeret Humana Natura ad vitã perfectam; & animale mortale corpus fieret ſpirituale, incorruptibile. Verum non fuit mortuus Chriſtus, quaſi perſona eius defeciſſet, ſed mortuus remanſit hypoſtaſi diuinitatis vnitus abſq; locali diuiſione, quoad centrum, in quo humanitas ſuppoſitabatur; non enim eſt poſſibilis ſeparatio filij hominis a filio Dei; eſt.n. maxima vnio, vt ſupra dictum eſt, & propter hoc communicatio idiomatum admittitur, vt Humana coincidant Diuinis. Et quamuis filius hominis non poteſt ſeparari a filio Dei, tamen eſt compoſitus ex corpore, & anima, quę poſſunt ſeparari, & illorum ſeparatio

 137

paratio eſt mors, qua temporaliter, & localiter diuiſio eſt facta; vt eodem loco, & eodem tempore non eſſent ſimul mortis hora anima; & corpus, ſicut ſemper fuerunt ſimul diuinitas, & humanitas, ita vt veriſſime deſierit anima corpus viuificare, & ſic veraciter mortem ſubierit; non tamen in corpore, fuit corruptibilitas poſſibilis, cum vnita eſſet æternitati; ſed temporalis natiuitas morti, & ſeparationi temporali ſubdita fuit.

Theorema IX.

Redemptor reſurrexit à mortuis.

COmpleto autem circulo motus temporalis, qui fuit mors, humanum corpus, vnitum Diuinitati, incorruptum remanens, animæ adunatum fuit; vnde idem Ieſus reſurrexit non in corpore graui, corruptibili, vmbroſo, paſſibili, & cęteris, quæ temporalem ſtatum conſequuntur, ſed in corpore vero, glorioſo, impaſſibili, agili, & immortali, vt ipſa veritas humanitatis, a temporalibus conditionibus abſoluta, requirebat. Quemadmodum enim polygonia, quæ ſub ſenſum cadit, non poteſt non eſſe quanta, diuiſibilis, & qualis, quæ, ſi ſimpliciter accipiatur, prout per intellectum percipitur, eſt abſoluta ab omni quantitate, qualitate, diuiſibilitate, magnitudine; ſic Chriſtus homo ſub temporalem motum conſtitutus, quando in mundo corruptibili cum hominibus cõuerſatus eſt, non potuit non eſſe paſſibilis, & mortalis; at completo motu temporali, cuius terminus fuit mors, qui in tempore apparuit verus homo, poſt illum terminũ ab omni corporali paſſione reſurrexit abſolutus, im-

mortalis, impaſſibilis, per quem, & nos in ſuam ſimilitudinem reſurgemus, qui penitus ſub motu nati ſumus, ceſſante motu; hoc erit in fine ſeculorum Chriſtus autem, qui ſolùm, vt a matre prodiit, temporaliter natus fuit, non totum temporis fluxum in reſurrectione expectauit; quia eius natiuitatem tempus penitus non apprehendit. Omnes vero in fine temporum ſiue boni, ſiue mali reſurgemus, ſed non omnes immutabimur per gloriam transformantem nos in filios adoptionis per Chriſtum Dei Filium.


Theorema X.

Redemptor aſcendit in Cęlum.

CHriſtus reſurrexit, vt ita intraret in gloriam ſuam per aſcenſionem ad cęlos. & quamuis ſecundum diuinitatem ſit vbiq; ibi tamẽ proprius eius locus dicitur, vbi non eſt ulla vnquam mutatio, paſſio, triſtitia; quem locum æterni gaudij, & pacis, ſupra cælos eſſe nominamus, licet loco nec apprehẽſibilis, nec deſcriptibilis, nec difinibilis exiſtat; ipſe enim centrum, atq; circunferentia intellectualis naturæ eſt; & cum intellectus omnia ambiat, ſupera omnia eſt. In ſanctis autem animabus, & ſpiritibus intellectualibus, qui ſunt cęli enarrantes gloriã Dei, eſt requieſcens, quaſi in templo ſuo; vnde ipſe regnat in cælis illis intellectualibus, & non ſecundum locum potius in circunferentia, quàm in centro ſedens, cum ſit centrum omnium rationabilium ſpirituum, vt vita illorum.

Theorema X I.

Redemptor ſe in alimentum tradidit.



CENTRVM humanitatis Ieſu Chriſti, identificatum centro diuinitatis, vnione hypoſtatica, ſe ſe explicauit in circunferentiam oſtenſionis diuinæ ſapientiæ, quam rationales ſpiritus edocerentur, de hic in circumferentiam ſatisfactionis, ſcine iuſtificationis impij; cum omnia peccata noſtra tulerit in corpore ſuo, vt patri ſatisfaceret pro omnibus, ſanguine ſuo, quo à peccatis omnibus, & præcipue ab originali emundaremur; Amplius hoc idem centrum effluxit in circunferentiam maximæ charitatis; quando Saluator ſe ipſum in alimentum rationalibus crea-

creaturis donauit, quod eſt omnem plenitudinem largitatis, & dilectionis, modum excedere; vt donatum idem ſit cum datore, quod eſt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, complementum omnium mirabilium, quod reficit, nutrit, impinguat, non corpus, ſed animam, non ventrem, ſed mentem.

Theorema XII.

Redemptor ſub ſpeciebus panis, & vini continetur modo ineffabili.

AD quod Sacramentum eſt accedendum per fidem, cum penitus humano intellectui ſit incomprehenſibile. Sicut enim circuli quadratura non eſt ſcibilis, quia hæc inquiſitio præſupponit, quod data circulari linea, poſſit dari recta illi æqualis, quod nunquam potuit apprehendi; ſic centrum humanitatis Ieſu, effluens in circulum, videtur quodammodo totum a figura rectilinea quadrati contineri, atq; ab illa menſurari, hoc eſt, ſub ſpeciebus panis, & vini ſacramentaliter, & realiter totum contineri, illiſq; eſſe æquale; quod admirabile maximum ab humana mente non poteſt percipi, ſicut hæc circuli quadratura non poteſt apprehendi. De ratione enim circuli non eſt menſurari, ſed menſurare; propterea mirabile eſt, & inſcrutabile circulum, qui eſt mēſura, per quadratum quadrari: eodem modo inſcrutabile, & ineffabile eſt hoc Sacramentum Sanctiſſimum, cum in ipſo contentum videatur continere continentem, & menſuratum menſuram menſurare.

139

Theorema XIII.

Redemptoris corpus ſub ſpeciebus exiſtit tunc, quando ſubſtantia ſpecierum tranſubſtantiatur in ipſum.

QVemadmodum enim in tetragono non poteſt intelligi inſcriptus circulus infinitus; niſi termini tetragoni ſint in infinitum extenſi; ſic Corpus Chriſti non exiſtit ſub ſpeciebus panis, & vini, niſi terminus, hoc eſt, ſubſtãtia vtriuſq; per tranſubſtantiationem euadat verum corpus, & ſanguis domini Ieſu; quæ tranſubſtantiatio fit ex diuina diſpoſitione, & pacto, per verba Sacerdotis conſecrantis. Mirabile eſt, quod Polygonia, inſcripta in circulo infinito, non ſubſiſtat in angulis propriæ ſubſiſtentiæ, ſed in ſubſiſtentia circuli infiniti, ideſt, quod humanitas Ieſu Chriſti non ſubſiſtat propria perſonalitate, ſed infinita perſonalitate verbi; at hoc certe mirabilius, quod circulus infinitus contineatur in finita Polygonia, ideſt, quod corpus dominicum, diuinitati vnitum, ſit opertum certis ſpeciebus panis, & vini;

Theorema XIV.

Redemptoris corpus eſt ſub ſpeciebus realiter, Sacramentaliter; remanet tamen in cęlo realiter abſolutè.

ITem ſi daretur circulus, qui eſſet ęqualis periphę riæ cum polygonia, non tamen propterea erit æqualis capacitatis, ſed ſemper maioris, vt et iam ſuperius fuit acceptum; ſic corpus dominicum, licet ſit totum, & ęquale ſpeciebus panis,& vini, ita vt tota illorum ſubſtantia per tranſubſtantiationem conuertatur in totum Chriſti corpus, non tamen erit ita ęquale,ac adæquatum aliquibus ſpeciebus, quin poſſit eſſe totum ſub alijs; & ita totum ſub ſpeciebus realiter, & Sacramentaliter æquale, quin etiam ſit in cæ lo realiter abſolutè. Sicut etiam circulus infinitus,inſcriptus in tetragono,non circunſcribitur ab ipſo, ſed eſt ita ibi inſcriptus, vt etiam alibi poſſit eſſe inſcriptus; ſic corpus dominicum non eſt in ſpeciebus circunſcriptum, vt locum occupans,vt habens ſitum, vt perceptibile per aliquem ſenſum corporeum humanum, ſed omnes latens ſenſus, vt fides habeat locum, & meritum; & propter hoc, vt non deprehendatur, accidentia habent omnem operationem,quam etiam habebant prius; licet ſint præter ſubiectum, quandiu habent intra ſe Corpus Chriſti,quod quidem eſt,quãdiu durant ſub proprietatibus naturalibus.

140


Theorema XV.

Redemptoris corpus ſub ſpeciebus eſt inuiſibile, & indiuiſibile.

AMplius ſicut Circulus infinitus eſt indiuiſibilis, & pars circuli infiniti eſt totus circulus, nec poteſt pars deſignari, quin in illa parte ſit totum; ſic corpus Chriſti glorioſum in Sacramento eſt inuiſibile, indiuiſibile; ita vt ſicut totum eſt ſub ſpecie panis, ita totum ſub ſpecie vini, vtrobiq; totum corpus, ſcilicet anima, & Deus, vnum, & ſimpliciſſimum Sacramentum. Et ſicut totum in tota ſpecie, ita totum ſub qualibet parte ſpeciei, & ſic in multis locis indiuiſiuè, & totaliter eſt, ſicut ſpeculum totam figuram capit; quod ſi frangatur, fragmenta ſimiliter totum capiant. Et quamuis manducetur corpus Chriſti, non tamen minuitur, quia corpus glorificatum, & incorruptibile non corrumpitur. neq; etiam conuertitur in ſubſtantiam aliti, ſed cibum ſpiritualem ſumẽs, per mentis exceſſum, & amorem in ipſum conuertitur. Sic Deus ſe communicat rationalibus creaturis ſub iſtis ſpeciebus in hac peregrinatione; at in patria facie ad faciem.

ELEMENTVM IX.

DEVS REMVNERATOR.



Theorema I.

Remunerator rationales ſpiritus ſuperinduit ſuperna Beatitudine.

CENTRVM humanitatis domini Ieſu in varias circũferẽtias effluxit, vt lumine ſapiẽtię, & charitatis affectu, rationales ſpiritus ad cẽtrũ ſui ipſius attraheret, in quo beatificarẽtur, & glorificarẽtur; vult enim omnes homines ſaluos fieri. Quemadmodum igitur omnes lineæ Circuli in centro præextiterunt, ex quo etiam proceſſerunt, tanquam ex ſuo initio; quæ in ipſo quidem Centro perfectè coniunctæ

ſunt,

141

ſunt, modice vero ab ipſo diſcedentes, modice quoq; diſcernuntur; magis recedentes, magis apparent; prorſus vero quanto centro viciniores ſunt, & illi, & ſibi inuicem iunguntur, quò vero ſe ab illo dimouent, magis etiam ab inuicem diſtant; ſic creaturæ rationales in centro diuinitatis præextiterunt, à quo tanquã à principio effectiuo fluxerunt; quæ & ad ipſum tanquam ad finem debent conuerti; conueniens enim eſt, vt omne fluens reuertatur ad id, a quo habuit principium ſui fluxus. Si igitur creaturarum rationabilium eſſe vnitur ſuo ęterno Centro, in ſimilitudinem æternorum abſorbetur, & quo magis ad ipſum feruentius conuertuntur, magis, & perfectius ab æternis perficiuntur, & inter ſe vniuntur, & abſconditur eorum eſſe in ęterno eſſe; vnde fiunt vnum per transformationem; quæ vnio dicitur triumphans, cum ſit perpetua, & infallibilis; in nobis vero peregrinantibus eſt militans, multis oppreſſa tempeſtatibus, & periculis.

Theorema II.

Remunerator etiam in hac peregrinatione ad ſui cognitionem, & amorem allicit.

CVm autem Chriſtus dominus ſit immortalis vita, & veritas, qui ſe ad hoc Centrum conuertit ad vitam ſe conuertit, & veritatem: & quanto hoc ardentius, tanto magis à mundanis, & corruptibilibus ſe ad æterna eleuat, vt vita ſua ſit abſcondita in Chriſto, ſicut lineæ in centro perfecte vnitæ, & abſconditę ſunt, nec videntur habere aliud eſſe,

quàm eſſe Centri. Et hæc eſt beatitudo, quę in hac vita poteſt haberi.

Theorema III.

Cum Remuneratore rationales ſpiritus fiunt vnum.

Conuerſio autem ſpiritus fit, quando ſecundum omnes potentias rationales ad ipſam puriſſimam ęternam veritatem ſe conuertit per virtutes Theologicas, quę tres ſunt, Fides, videlicet, ex qua Spes, ex quibus Charitas; Fides transfertur in certitudinem; Spes in apprehenſionem; Charitas in connexum; dum enim rationales Spiritus, per hos gradus virtutum pergunt ad Centrum, qui eſt Chriſtus, fiunt vnum cum Centro, & per ipſum cum Deo Patre, ſicut Filius eſt vnum cũ Patre, de cuius plenitudine ſatiabuntur, cum apparuerit gloria eius. Verum vnio, qua Filius eſt vnum cum Patre: eſt abſoluta vnio, & ſimpliciſſima, qua diuina ſuppoſita vniũtur in vna numero eſſentia; vnio vero, qua verbum caro factum eſt, & ipſa eſt maxima, qua duæ naturæ Diuina, ſcilicet, & Humana vniuntur in vna numero hypoſtaſi; at hęc vnio, qua creaturæ vniuntur in Deo, eſt ſuppoſitorum vnio in gratioſam Dei filiationem, ſalua cuiusq; perſonali veritate, per transformationem luminis gloriæ, vt in omnibus non appareat, niſi Deus; ipſa enim bonitas æterna domum intellectualis creaturæ ſibi ędificauit, in qua centraliter habitare delectatur.

ELE-

ELEMENTVM X.

COROLLARIA.

HActenus igitur apparet, quomodo in ſpeculo Mathematico, non modo remota ſimilitudine, ſed fulgida quadam propinquitate, centrum illud reluceat, quod eſt infinita bonitas, quod, cum ſit infinitum, non minus eſt Centrum, quam linea, Circulus, Sphæra; atq; in ipſo linea eſt ſphæra .i. eſſentia eſt exiſtentia, triangulus eſt Circulus, ideſt, Trinitas eſt vnitas; quodq; cum ſit Bonitas explicatur. Centri vero explicatio eſt circunferentia; quare appa ret explicatum in tres circunferentias, vnam increatam, alteram creatam, tertiam increatam, & creatam. prima eſt ſimpliciter nõ magis vnum, quàm trinum; ſecunda non magis vnum, quam plura; tertia maxime vnum, non ſine pluralitate; in prima eſt motus generationis, & proceſſionis æternæ in æternitate; in ſecunda motus creationis in principio temporis; in tertia temporalis natiuitas Domini noſtri Ieſu Chriſti in plenitudine temporis; in prima diuina Bonitas intimè, & indiuiſibiliter tribus perſonis diuinis communicatur; iu ſecunda participatur magno Mundo; in tertia admirabili modo, paruo Mundo; prima Centrum eſſentiæ creaturæ explicauit in circunferentiam creaturarum; tertia complicauit eandem circunferentiam in ſuam Centrum, non ſolum quia humana natura in ſe conſtringens vniuerſa, eſt eleuata ad eminentiſſimum gradum, verum quòd ſpecialiter rationales creaturas, illuminando, purgando, & paſcendo ad ſe

vni-

vniuit,eo modo,quo Centrum perfectè in ſe ipſo vnit lineas ad circunferentiam ductas. Hæc ſunt admiranda Myſteria Dei, quorum non poſſumus ſcire rationem, ſed tantum admirari; quoniam Magnus Dominus, cuius magnitudinis non eſt finis, qui vt eſt omnium operum ſuorum auctor,& cognitor; ita & finis, vt in ipſo omnia, & extra ipſum nihil; qui eſt principium, medium, & finis omnium, centrum, & circunferentia vniuerſorum, cui gloria per innumerabiles Myriadas ſæculorum.

Hoſtiles argumentorum turmæ in campum Iuſtineæ Academię deſcendent, quę obſcidere, & oppugnare molientur Arcem hanc Geometrica arte conſtructam,non demonſtrationum repagulis munitam,ſed fidei potiſſimum innixam fundamentis;quæ non poſt demonſtrationem, ſed ante demonſtrationem,neq; per demonſtrationem, ſed ſupra demonſtrationem conſtructa, certiſſima,& conſtantiſſima manent; quibus turmis tenuis quidem acies obſiſtet, quę tamen ſtrenuiſsimi Ducis ſubſidio Philippi Fabri,Patauini Gymnaſij Theologi perſpicaciſſimi, in fugam verſis hoſtilibus copijs, de hoſte triumphabit. Inſpiciet vero prudentiſſimus Pater Cyrillus Pat. Sanctæ Iuſtinę Abbas vigilantiſſimus,qui aciem Mineruę inſtruxit, ac litterarium hoc luctamen excitauit. 1 6 1 7.

Elementum I.
Axiomata. C.14
Elementum II.
Linea ſiue Deus. C.17
Elementum III.
Triangulus ſiue Deus trinus. C.23
Elementum IV.
Circulus ſiue Deus vnus. C.29
Elementum V.
Sphæra ſiue Deus eſt. C.33
Elementum VI.
Centrũ explicatũ in Aeter.ſiue Deus producẽs. C.37
Elementum VII.
Cẽtrũ explica'ũ in princ.temp.ſiueDeus creator. C.39
Elementum VIII.
Cẽtrũ explic.in Pleni.temp.ſiue Deus redẽptor C.49
Elementum IX.
Cẽtrũ oĩa cõplicãs in fine temp:ſiue Deus remu. C.66
Elementum X.
Corollaria. C.69

Errata ſic corrigantur.

Pag.7.linea 10.pluuit pluit Pag.10.lin.4.precipuè præcipuè Pag.14.linea.15.q; quæ Pag.22.lin.16.creatam creatum Pag.25.linea 10.contingir contingit.Pag.27. diſtinguuntur diſtinguantur.Pap.30.lin.24.identitat identitati. Pag.30.lin.4.erit . . . Pag.30.lin.25.vnitatis vnitas . Pag.31.lin.24.quam quia Pag.31.lin.22.abirens ambiens.Pag.32.lin.18.ſit ſcit.Pag.34: linea.5.nominablis nominabilis.Pag.35.lin.7.alias alia. Pag.38.lin.6.ſupercies ſuperficies.Pag.40.lin.24.abſolutam abſoluta.Pag.41.lin.1.contractę contractè.Pag.44.linea. 1.circulatis circularis. Pag.51.lin.30.immediaie immediate Pag.53.lin.7. eandem eamdem. pag.54.linea.7.inducat induat . Pag.57.linea 21.tãquam tanq; Pag.61.lin.1. ceentrum centrum . Pag.22. lin.23.Maxime Maximum . Pag.60.lin.19.ſupera ſupra.

Ego Frater Philippus Faber Fauentinus, vidi ſupraſcriptam Decadem Theologicam, & nihil reperi contra fidem Catholicam neq; contra bonos mores ideo Imprimi poſſe iudico.

PATAVII,

Ex officina Laur.Paſquati, typogr.mag.anno M.DC.XVII.

Permiſſu vtriuſque Fori.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINE